3

FASTI CARDINALIVM OMNIVM SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

CVM STEMMATE GENTILITIO

cujuſque Cardinalis, ac lemmate ex ſacris paginis deducto, geſta annuente illius Cardinalis.

Cum Indicibus Pontificum, PſeudoPontificum Cardinalium, PſeudoCardinalium tàm per nomina propria, quàm per cognomina familiarum: ac Rerum Notabilium, in quibus plura ſupplentur, & corriguntur omiſſa in corpore huius Operis.

EMINENTISSIMO CARDINALI

IN ECCLESIA PRINCIPI

PETRO OTTHOBONO

S. R. E. BIBLIOTHECARIO

D I C A T I.

A V C T O R E

IO: PALATIO I. V. D.

Collegiatæ S. Mariæ Matris Domini Plebano, & Archipresbytero ejuſdem Congregationis, Ducali Canonico, in Veneto Lycæo Iuriſprudentiæ, ac Patauij olim Sacrorum Canonum Publico Profeſſore, S. C. Maieſtatis Hiſtorico, Conſiliario, &c.

O P E R I S

VOLVMEN QVINTVM

Ab Alexàndro VIII. Rom. Pont. CCXLIII. uſque ad finem.

VENETIIS, M. DCCIII

Expenſis Gaſparis Bencardi Bibliopolæ Auguſtani.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

II

Digitized by Google

Eminentiſsimo Principi
S. R. E. Cardinali
P E T R O
OTTHOBONO.

IN Eurippum deſcendo (PRINCEPS EMINENTISSIME,) ad quem ſecure enavigandum, Stellam mihi propono, quæ immobilis motu & fallere neſcia, dirigat & infirmam regat per vada cærula puppim. Navem ſolvo, in qua tota refulget Eccleſia; inſtitore Petro, omnes navigant Apoſtoli, & Chriſti diſcipuli; inter quos cum tu idem ipſe ſis tempeſtatis expers; vela pandam notis etiam adverſis. Sanctiſsimo ALEXANDRO VIII. R. P. ProPatruo Tuo, Petri cum obtulerim *Monarchiam* tanto Pontifici non ingratam; *Ariſtocratiam* Pro Nepoti ſubdo Eminentiſsimo, Veneto Venetus, Eccleſiæ Cardini Cardinales, quorum geſta è tenebris antiquitatis effoſsa ligone licet impolito, ſed labio impolluto ſculpentur in ſilice. Nihil cum tam probè aut providè dictum, quod non vellicare malignitas poſsit, præcipue quorum lingua labor, & dolor; ad te venio, AQVILA GRANDIS, quæ à Beatiſsimo ProPatruo minime degener, liberalium Studiorum, omniſque doctrinæ elegans admiratrix, & fautrix, viros ingenio præſtantes nunquam mæſtos dimittis. Myriades offero Candidatorum, Martyrum, Confeſſorum, quorum nomina ſcripta ſunt in libro Vitæ, & apud Dominum eſt merces eorum. Apprehende arma & ſcutum, exurge in adjutorium mihi! Si enim auxilium mihi Aquila TER MAXIMI ALEXANDRI; non metuam. Tu mihi MÆCENAS! PRÆSIDIUM teneo, & DULCE DECUS MEUM, Percurre mappam

pam

pam, in quà non vnius ævi, aut Urbis exempla, ſed omnium temporum, omniumque virorum qui à Chriſto nato Sanctuarium Dei, Cardines ſuccollarunt. Mea in arena lapillos quærenti vel margaritas, ſat erit vel una labori. Hieruſalem hic perſcrutaberis Sanctam, non in lanternis, ſed in ſplendoribus Sanctorum. Tamquam aurum in fornace hic probantur electi Dei. Inferno aliquandò appropinquavi, in quo, qui nullum ſignum dedere virtutis, malignitate cruciantur conſumpti. Hiſtoria namque, quæ ſua veritate præmitur & opprimitur, abſque Salvatoris injuria diſcipulos prævaricatores declinare non poteſt, qui concrucifixos Latrones ſuſtinuit, & commenſales proditores non abhorruit. Sicut in horto herbarum varietas, & florum diverſitas minime obeſt, ſed delectat mirifice, ſenſuſque recreat: Sic in hiſtoria diverſi mores, & comparatio virtutis, uſui ſunt, non detrimento. Porrò, cum nulli niſi audituro dicendum ſit verum: & Liliis, ex ore SS. Alexandri VIII. ProPatrui tui, Hiſtoria comparetur, quæ graveolent, ſi vel pretioſis tingantur unguentis: quemadmodum & de puro ſordidatur argento aurum, ſi miſceatur: Hiſtoriam defero planam, & veritate plenam vt eam legere valeas ſine rubore, licet magna pars iſtius Hiſtoriæ Tu idem ipſe ſis, & Domus tua. In hac itaque conquieſcam nec ſine verecundia, quòd in muneris oblatione nil mei inveniam præter aſteriſcos: & in nummiſmate cenſus, imago & ſuperſcriptio cum Cæſaris ſit, reddenda Cæſari. Facillimè ergo rebus redeuntibus ad naturam ſuam, offero Tibi Otthoboni Eminentiſsimi atque Beatiſsimi Hiſtoriam; nil enim gratius offerri poteſt Nepoti, quàm elogium Patrui, eoque compendio, ut uno verbo omnia abſolvam, Te alterum dicendo Alexandrum.

Devotiſs. Humiliſs. Obſequentiſs. Servus

Joannes Palatius.

ALEXANDER VIII.
ROM. PONTIFEX CCXXXXIIJ.

ALexander VIII. antea Petrus Otthobonus in Papam eligitur die 6. Octobris Sal. Anno 1689. Obijt die 1. Februarij 1691, cum ſediſſet An. 1 Menſ. 3. dies 26. Cuius adfuere comitijs,

Epiſcopi Cardinales.

Ex Innoc. X.

1. Alderanus Cybo Ligur creatus Anno 1645.
2. Petrus Otthobonus 1645. Venetus, Papa futurus Alex. VIII.

Innoc. X.

3. Flauius Chiſius 1657.
4. Antonius Bichius Senenſis 1657.
5. Iacobus Franſonus Lygur 1658.

Presbyteri Cardinales.

6. Carolus Barberinus Romanus 1653. ex Innocentio X.

Alex. VII.

7. Gregorius Barbadicus Venetus 1660.
8. Paulutius Paulutius Alterius Romanus 1666.
9. Io: Nicolaus de Comitibus Romanus 1966.
10. Iulius Spinula Lygur 1667.
11. Io: Delphinus Venetus 1667.

Ex Clem. IX.

12. Emmanuel Theodoſius Bullionus Gallus 1669.

Clem. X.

13. Lodouicus Portocarrerus Hiſpanus 1669.
14. Carolus Cerrus Romanus 1669.
15. Gaſpar Carpineus Romanus 1670.
16. Cæſar Dæſtræus Gallus 1671.
17. Petrus Bonſius Florentinus 1672.
18. Fr. Vincentius Maria Vrſinus Romanus 1672.
19. Federicus Columna Peruſinus 1673.
20. Franciſcus Nerlius Florentinus 1673.
21. Hieronymus Caſanate Neapolit. 1673.
22. Galeatius Marcſcottus Romanus 1675.
23. Franc. Spada Romanus 1675.
24. Fr. Philippus Thomas Huuartus Anglus 1675.
25. Io: Bap. Spinula Lygur 1681.
26. Antonius Pignatellus Neapolitanus 1681.
27. Franc. Bonuiſius Lucenſis 1681.
28. Sauus Mellinus Romanus 1681.
29. Fridericus Vicecomes Mediolan. 1681.
30. Fr. Ryamundus Capiſucchus Romanus 1681.

Innoc. XI.

31. Franc. Laur. Brancatus Franciſcanus de Lauria 1681.
32. Iacobus de Angelis Piſanus 1686.
33. Opitius Pallauicinus 1686.
34. Angelus Ranutius Bononienſis 1686.
35. Veriſſimus Lancaſtrus Luſitanus 1686.
36. Marcellus Duratius Lygur 1686.
37. M. Antonius Barbadicus 1686.
38. Carolus Cicerus Comenſis 1686.
39. Leopoldus Kollonitius Germanus 1686.
40. Stephanus Le Camus Gallus 1686.
41. Io: Goeſſenius Germanus 1686.
42. Michael Radziciouuski Polonus 1686.
43. Petrus Matthæus Petruccius 1686.
44. Fr. Petrus Salazar Hiſpanus 1686.
45. Gulielmus Fuſtembergius Germanus 1686.
46. Caſimirus DeNoff Polonus 1686.
47. Fr. Ioſeph Aguir Benedictinus Hiſpanus 1686.
48. Leander Coloredus Forouulienſis 1686.
49. Fortunatus Caraſa Neapolitanus 1686.

Diaconi Cardinales.

Innoc. X.

50. Franc. Maidalchinus Viterbienſis.

Clem. XI.

51. Nicolaus Acciaiolus Florentinus.

Innoc. XI.

52. Vrbanus Sacchettus Florentinus.
53. Io: Franc. Ginettus Romanus.
54. Benedictus Pamphilius Romanus.
55. Dominicus Maria Curſius. Florentinus 1686.
56. Io: Franc. Nigronus Lygur 1686.
57. Fuluius Aſtallius Romanus 1686.
58. Gaſpar de Cauallerijs Romanus 1686.
59. Franc. Maria Medices Florentinus 1686.
60. Rinaldus Eſtenſis Mutinenſis 1686.

Geſta Alex. VIII. R. P.

A. S. 1689. Alexand. VIII. I.

P Laudite Mortales
Vices Trinitatis gerit Otthobonus; A
Qui gratiam inueniens corã oculis Domini,
Cathedram Petri reſtituit in Domũ Marci.
Ibi natum, vbi vel priuati naſcuntur Reges,
Annos ſupra quingentos muneribus publicis
In Proauis Veneta iactauit Reſpublica ; .
Et ſine exemplo ex eius familiâ
Ter Magnum aſſumpſit totius Reip. Cancellarium
Gentem nunc *Otthobonam*, habes:
Hanc ſi neſcis, Venetam ignoras hiſtoriam.
Romam veniens, ſecum tulit Reipub. patrimonium,
Iuſtitiam, & *Religionem*: B
Quibus, de ſuo virtutem addidit.
Et Claues Cœlorum Filius Patriæ reſtituit
Quas hæc amiſerat Annos ſupra ducentos.
Variis primo Vrbib. Iuri dicundo præpoſitus
More Veneto Maieſtatem ſeruauit Romanam
Æquitate, & Annonâ:
Exhibens vbiq. præſentẽ Pontificem, ſupplẽs abſẽtẽ
Rotæ 4 præpoſitus, etiam in Rota ſtetit;
Quam Deciſionibus ſuis veluti clauo fixit.
Ne ab Otthobono etiam reuoluta declinet.
Epiſcopus, 5 Cardinalis, Legatus. 6
Non Venetæ tantum Reip. ſed Dei ſe credidit:
Vtriuſque cliens, vtriuſq. patronus C
Veneta iura Diuinis protexit, Diuina Venetis:
Nemo Romanæ obſeruantior Fidei,
Nemo Venetæ tenacior Libertatis,
Annis XXXV. egit rem Venetam, & Romanam:
Et ſolus, inſtar Senatus conciliauit vtramq:
Quia ſciret ſe miniſtrum Reipublicę & Dei.
Legatum expetitum à Gallis, Hiſpanis, Britannis
Negauere Pontifices
Quòd ex Bonis non ex *Otthobonis*,
Romæ aliquis ſupereſſet.

Quatuor Pontificum 7 creationi præſens,
Fouit ſemper partes Spiritus Sancti:
Nunquàm enim eſt ſuffragatus inanis.
Mortuo tandem Innocentio XI.
Vox Populi, quæ vox Dei,
Petrum Petram acclamauit Eccleſiæ.
Duos fermè Menſes protraxere Comitia,
Vt voces Regum colligerent;
Quorum nemine diſcrepante,
Intercedente D. Magno Veneto ciue
In Domum Marci deſcendit etiam Spiritus Sanctus
In ſignum lętitię
Legati Principum repoſuere illicò *Limina* 9 Petri.
Nec aliud ſperandum
Si Marcus cum ſuo Leone aſſurgeret ad tutelam Petri:
Alexander 10 dici voluit.
Vt claſſicum caneret aduersùs Barbaros:
Et pacem impetraret, exceptis Hęreticis, Infidelibus
Hinc incipere deberent Pontifices omnes.
Arma inſtruxit primò lacrymis, orationibus.
Interdictis in patria ludis, atquè ſpectaculis
Vt Religio præluderet triumphos.
Si M. Alexander Numinis arrogaturus nomen
Regna ferro ſubegit barbaros;
Alexander nunc maximus Numinis vices gerens
Pietate frangeret barbara Regna.
Grata tamen Pro-Deo occurrit Patria
Legationibus 11 Dignitatibus,
Quæ perpetuò hæredi tranſmiſsæ Alexandri
Pontificem venerentur etiam defunctum.
Pontificatus exordia,
Abundantia Panis, 12 & Pacis.
Sic ſolent Veneti præeſſe, & prodeſſe.
Annona in Populum, Iuſtitià in omnes.
Futura dabunt vates, non Fortunam:
Si enim ſibi Fortuna, & Sydera Reges
Super Fortunam Pontifex; quia ſuper Reges.

Additio ad vitam Alex VIII. poſt eius obitum.

Grnat Bibliothec in Vaticanum

Conuiuium Platonis adiecit; D
Venatis prodeſſet, & naſcituris;
Illatis in Vaticanum 13 Codicibus
Quos à finibus Orbis Terrarum congeſserat,
Inſtructioné Cardinalibus compoſuit. Christina Suecorũ olim poſteà Regina Chriſti
Cardinalibus abecedarium reliquit:
Quo ſciſcitanti Pro Chriſto
Rectiùs quàm Apoſtoli reſponderent.
Et iuxta Petrã cũ Petro cõfiterẽtur vnanimes,
Filium Dei.
Opus hoc quadraginta 14 Annorum,
Quibus ſeipſum in Apoſtolum reformauit
Maiora Papa dediſset 15

Sed inclinata iam dies; Sanctos inuocauit:
Quorum duos, patronos Orbi dedit
Laurentium Iuſtinianum; 16 & Brunonem: 17 *Sancti ab eo Canonizati.*
Iſte ſeptem ſtellis ex Olympo detractis
Carthuſię Cęlum erexerat,
Vbi Pſalterium agitur, Silentium, Ieiunium.
Huic cũ ęterna Sapiẽtia amplexũ tuliſset & oſculũ:
Ab hoc tempore omnis eis Mundus desipuit.
Periiſsent Venetię;
Niſi apud Deum Laurentius interceſſiſſet.
Hoc duce Alexander *Victoriæ in Turcas*
Aulonem, 18 Elymam tenuit & Monẽbaſiam
Quo prohibitis irrumpere hominibus,
Hinc

irrepſere Angeli.
Hinc Veneti iure ſanguiois habuère Regnum,
Beneficio Alexandri Patrocinium Eccleſiarū.
Priui-legia Venetis indulta Iuriſdictioois abhorrens diſſidia,
A Paſtoribus indirectè & indiſcretè excitata;
Venetiis in Eccleſiâ Ducali, 29
Apoſtolo Petro æquauit peoè Marcum Euaogeliſtā:
Quem Vrbis in Vrbe poſitę *ſolum* voluit
Dominum, & patronum.
Viuens eum dilexiſſet ſuos,
Oriens prędilexit Eccleſiam, exornans
Penitentia 21 glorioſà,

A

Serò namq. ſed ſerió
Gallos docuit Eccleſię iura; quę ipſi ignorabãt. *Gallos docuit.*
Sie nomine explero
Alexandri, contendit ad Superos
Proſcriptà funeris 22 põpà legibus ſũptuariis
Ne in poſterũ Pontifices in cinere laſciuirent
Obiit, 23 non vt Homines mori ſolent:
Dominus ſui,
Sacramentis totus intentus, quę ſecum tulit;
Agnatos, quibus plura dare valebat, pręteriit.
Ieſus, *Maria* fuere verba morientis,
Quibus pie inuocatis, expirauit.

ADNOTATIONES

Vſq. ad numerum VII. habes in Tomo V. Romanorum Pontificum.

3. In hoc numero corrige verba h. ſupraposita; *Fidenę Vrbis Præfecturam, & Altini Nou. Epiſcopatum.* Sic etiam n. 4. expunge *Clericatum Cameræ*.

8. Sequentia adiiee. Die 6. Octobris eligitur Diuis *Magno* Veneto ciui, & *Branoni* Anachoretæ ſacrà; quorum in honorem nummiſma percuſſit *die natali S. Magni Epiſcopi Opitergienſis* (ſub cuius protectione & iuriſdictione Otthobonus auita poſſidet prædia) *& Branonis Anachoreta*. Aliud habes ſuæ electionis oummiſma, in quo thronus Pontificius cum epigraphe, *Domini eſt aſſumptio noſtra*. Quę omnia habes in fioe.

12. *Pacis*. In hoc numero ſtipendia recole (ſupra omiſſa) per Alexandrum Iudicibus reſtituta; ne mercede ſpoliati, cogerentur ad munera manum extendere, & pretio delictis retia laxare. Cum enim medietatem ſtipendij *Innocentius XI.* prouidè ſubtraxiſſet Togatis, vt aduersùs militiam foueret armatam; difieile erat de Rectore Prouincijs conſulere, quę cum in communem cauſam conferre non abnuerent, optimos etiam expoſcebant Iuſtitiæ admioiſtros. Concordat cenotaphium Romæ expoſitum in eius publico funere

Aditu facilis, fauore promptus, comis alloquio
Vtilia dare liberaliter nouerat
Noxia negare beneuole.
Stipendia è publico iudicibus reddidit
Ne criminum pretia à populis quærerent,
Vt Vrbis totius peruadenda ſecuritas
Tanta Iuſtitia ſit, quanta eſt Principi;
Debitam libertatem feliciter impetrauit,
Rem frumentariam ita reſtituit
Vt ingentia, quæ fuerant erarij commoda
Populi fierent compendia.
Deo ſimillimum exhibens patrem
Dum Salutem præſtat & Copiam.

B

14. *Elatis in Vaticanum Codicibus* bis mille quos ex Chriſtinę Suecorũ Reginę bibliothecà ęre ſuo coemptos io Vaticanam trànſtulit, vt ex ſequenti inſcriptione. *Vaticanam auget Bibliothecam.*

Alexander VIII. Otthobonus Venetus Pont. Max.

Conſcriptos Codices ex ijs, quos Chriſtina Alexandra Suecorum Regina vndiquè conquiſiuerat ſelectos paucis quoquè è ſua domeſtica bibliotheeà adiectis, Vaticanæ attribuit, & Alexandrina nuncupatione, propriaq. aulà diſtinxit Anno Sal. 1690. Pontif. I.

Libri ab eo conſcipti,

C

Ornauit tandem lucubrationibus ſuis, præcipuè *Deciſionibus*, quas Rotæ Auditor ex tribunali pronuntiauit, typiſq. dedit.
Annales Baronij in compendium proprio calamo collegit.
Tract. de componendis Dataria debitis exarauit dum ſub Clem. IX. Datarium ageret.
Diarium rerum ſingularium, quę contigere, dum Rotę Auditorem gereret.
Promptuarium rerum omnium quę in colloquiis Cardinalium cum Romano Pontifice occurrere poſſunt Alphabeto diſpoſitum.

D

15. Opus hoc quadraginta Annorum. dum enim Cardinalis eſset, Iuris peritià, vſu ſacrorum, morum exemplo, longæuo periculo, ſermonis facundia, politia Chriſti, ſocijs ita ſupereminuit, vt cum loqueretur cęteros ad ſe traheret; ſi diſsentiret, in nouum examen impelleret. Dignitate Cardinalis officium implens Pontificis; vt Pontifice colebatur antequàm eſset.

Concordat inſcriptio Romæ feretro appoſita

Ad Eccleſię tutelam a Deo vocatus Alexander
Experimento Annorum Sexaginta
Quos Orbi impenderat, antequam praeeſſet
Maturus videbatur Imperio
Moderator Romana Rota duodecemuir
Doctiſſimus, integerrimus, deciſionibus editis clarus
Brixienſi Epiſcopatus ſumma cum laude perfunctus
A quinque Maximis Pontificibus ad comitia adhibitus
In omnia ferè Patrum collegia cooptatus
Pontificij muneris tyrocinium
Cumulate compleuerat aliorum voto, ſed nondum ſuo
Sibi enim minime fidens
Vt caleſti patrocinio ſe penitus addiceret
Nouos Orbi patronos rite inuocauit.

Pōtifex dictus *Antonium Otthobonum* nepotem ex fratre Generalem pręfecit caſtris S.R.E. *Marco* alteri nepoti ex fratre Maris Præfecto nuptias conciliauit *Tarquinia Columna*: Petrum ex Antonio Otthobono pronepotem, Cardinalem dixit S. R. E. magno Chriſtiani Orbis incremento. Alexādro namq. patruo ſola ætate & dignitate inferior, Principis vere Eccleſiaſtici partes implet ingenio, liberalitate, morum ſuauitate non tam erga Principes,
A quàm erga priuatos, Reliquos affines & conſanguineos promouit ſed iuxta menſuram tēporis & occaſionis abſq. vllo Eccleſiæ detrimento. Errarium nāq. quod in arce ſeruatur S. Angeli, non diminuit. Moriens nullum probauit diploma in gratiā Affinium imò plura Officia vacantia, quę prætio diſtribuuntur, minime implere curauit. Pinguiora ſuis contuliſſe beneficia haud nego: ſed maior Nonoagenario aliter gerere non valebat, ne morte præuentus familiam caſibus humanis exponeret: ſolitus inde
B dicere, quòd duodecim jam tranſiiſſent horæ diei,

Marcus Ottobonus

- Petrus Papa
- Chriſtina vxor Io: Baptiſtæ Rubini
  - Donatus Rubini
    - Io: Baptiſta Ep. Vicen. Card. S. R. E.
    - Camillus
- Auguſtinus ex Paulina Bera.rda — ex Candida Bencia
  - Marcus Eques Claſſis Præfect. maritus Tarquinię Columnę. Dux Fiani,
  - Clara vxor Franc. Zeni
    - Cornelia vxor Vrbani Barberini
  - Antonius Generalis S. R. E. Eques Procurator S. Marci cum Maria Moreta.
    - Petrus Cardinalis & Cancellarius S.R.E. Legatus Auenion. &c.

Cardinales Alexandri VIIJ. Alphabeto diſpoſiti,

Aloyſius Homodeus Mediolaoenſis Proton, Apoſt. & Clericus Camerę.

Bandinus Paneiaticus Florentinus. Patriarca Hieroſolym. Datarius.

Carolus Bicchius Senenſis, Auditor Camerę.

Ferdinandus Abdua Mediolanenſis Archiep. Amaſiæ.

Franciſcus Barberinus Romanus Auditor General. Camerę Apoſtolicę,

C Franciſcus de Iudicibus Neapolitan. Decanus Protonotariorum, & Clericus Camerę.

Iacobus Cantelmus Neapolitanus, Archiep. Cęſarię,

Io: Franciſcus Albanus Vrbinates Referēdarius Vtriuſq. Signaturæ, & a ſecretis Breuium. *Papa Clem. XI.*

D Io: Baptiſta Coſtagutus Romanus Decanus Cameræ Apoſtolicæ.

Io:

Io: Baptiſta Rubinus Venetus Pronepos Pontificis Ep. Vicentinus.

Joſeph Renatus Imperialis Ianuenſis, Theſaurarius Generalis Pontificis.

Laurentius Altierius Romanus Protonotarius Apoſtol.

Petrus Orthobonus Venetus pronepos Pontificis, Protonot. Apoſt.

Tuſſanus de Fourbin Gallus, Ep. Rothomagen.

Tribus ordinationibus ſupradictos creauit 7. Nouemb. 1689. Petrum pronepotem ſolum 13. Nouemb. 1690. Altierium, & Barberinum: 13. Feb, 1690. reliquos.

15. *Laurentium Iuſtinianum*. Tres fratres Iuſtiniani Imperatoris poſteros Conſtantinopoli pulſos in Italiam deſcendiſſe, & Venetijs conſediſſe, Venetorum teſtantur monumenta vetuſta. Huius familiæ virtus cum multis in bellis, in eo maximè claruit, quod a Venetis aduersùs Emmanuelem Imperatorem feliciori initio, quàm euentu geſtum eſt. Infeſtis namq. ab hoſte veneno aquis in inſulà S. Panagiæ, claſſis Veneta periit; & in eà Iuſtiniani quicumq. per ætatem arma capere potuerant, quaſi patrias ſedes bello repetentes. Vnus tantùm cum ſupereſſet adoleſcens par ſoboli procreandæ, Nicolaus nomine, cænobiarca S. Benedicti: Vitalis B Michael Venetorum Princeps in patriam reuerſus cum claſſe lacera, Iuſtinianis amiſſis, quaſi tanti excidii ipſe cauſa fuiſſet, vt populum ſibi reconciliaret iratum, impetrat ab Alex. III. R. P. vt liceat adoloſcenti monacho vinculum ſoluere Religionis ad familiam reparandam, eiq. vnicam filiam deſpondet Annam nomine. Ex his nuptiis Nicolaus cum ſex filios procreaſſet, & tres fæminas, veteris non immemor voti ad Monaſterium rediit, ædificato priùs ad Amianum cænobio virginum ſub nomine S. Adriani, in quo Anna vxor ipſa vitam profeſſa monaſticam, ambo claruère miraculis. Ex hac ſanctitatis propagine naſcitur Laurentius ſub C finem belli Ianuenſis, eo die quo pro inſigni apud Clodiam victoriâ, vniuerſa ciuitas ſupplicationibus redundabat. Quirina eius mater dum in eà lętitia pareret, ſupplex orabat, vt hoſtibus aliquando formidini eſſet, & ſaluti ciuibus, quod impletum in bello Mediolanenſi. Annum agenti vndeuigeſimum induta virginem Æterna ſapientia amplexum tulit & oſculum; à quo tempore omnis illi Mundus deſipere, & vna cępit ſapere religio. Ad hanc cũ ſe recepiſset, ſocius quidam tàm genere, quàm diuitijs clarus, deſtitutum ſe indignè ferens ad ſepta venit Monaſterii, cum acie ſodalium quorum alii tenentes citharam, ferrum alii, ad reditum pellicerent, D vel impellerent: Vtroſq. tamen perrupit Laurẽtius, captumq, verbis ſodalem in ſua iurare verba, manuſq. dare Religioni coegit, plaudentibus Superis, quòd Theſeus Pirithoum ſuum non ad Orcum, ſed in Cęlum comitaretur. Ad infulam extractus iubente Eugenio R. P. pater pauperum & hoſtis ſuperborum, in ore habuit: *Scire Deum, omnia eſſe, nihil hominem, Cælo excludendos omnes fore diuites; niſi eius ianitores pauper pia manu corrumperet*. Moriturus plumas reſpuit, memor quàm duro lectulo Chriſtus obijſset, Iuſta ei homines interim, perſoluerunt, & Angeli. Expletis officijs, cum corpus tradendum eſſet ſepulturę; Dei occulto iudicio, lis oritur inter Patriarchales Canonicos, & fratres S. Georgij. Hi ex pręcepto Patris, cum exuuias repeterent: Illi ſacros obiicerent Canones, quorum auctoritate, Pręlati, ſpretis etiam defunctorum ordinationibus, in propriis eccleſijs ſunt ſepeliendi; ſacrum corpus in Eccleſię ſacrario repoſuere, litis euentum expectaturum. Res mirabilis vſq. in diem ſextum integrum perſeuerat abſq. vllo fętore, ſed A potius cum odore ſuauiſſimo. Miraculum miraculo additur. Poſt biduum genę rubeſcunt, & viuus per membra ſanguis conſpicitur. Octauo die ob populi frequentiam in Eccleſia iterum reponitur; dum qui litigant inſtantiùs poſtulant; illi cuſtodiunt diligentiùs. In ſacrarium iterum reſtituitur, vbi per dies 40. perſeuerauit integer & incorrumptus: donec ſeptimo ſupra ſexageſimum die, ſepulturæ traditur. Medici omnes naturę vi id fieri poſſe negarunt, pręſertim cum putridà febri laboraſſet. Innumera poſt obitũ operatus miracula, Alexandrũ VIII. impulit inter Sanctos tranſcribere. Tanti triumphi labarum in quo Imago S. Laurentij Iuſtiniani librũ B tenens apertum, miſit in patriam Pontifex, quod menſe Ianuario 1691. in Eccleſia expoſitum S. Marci, tranſlatum poſtea in Ædem Caſtellanam, Patriarcharum ſedem, Clero comite Ducali. Quatuor Ornamenta pendula ſuſtinẽtibus Agnatis proximioribus Sancti, Hieronymo Laurentio Iuſtiniano ex vico S. Moyſis qui ducatos mille in expenſas obtulit inaugurationis: Sebaſtiano, ac Hieronymo & Antonio fratribus Iuſtinianis nepotibus Sereniſſimi M. Antonii Venetorum Principis, ac Danielis Epiſcopi Bergomenſis, qui ſolus ex Epiſcopia Veneti ſoli, ducatos mille contulit ad inaugurationis feſtum. Reli- C quum pecuniæ ad ſummam ducatorum quinquaginta millium pietas contulit Reipublicæ, Per dies octo Muſici Ducales, ſacros celebrauere faſtos in æde Caſtellanà aulæis totà exornatà, cereis, atq. lampadibus. Die octauo Clerus adfuit ſęcularis, & Regularis cum ſupplicationibus in laudem Sancti. Canonizationis a Pontifice habitæ numiſma habes, in quo ſedet Laurentius Iuſtinianus Patriarchalibus indutus inſignibus ſub epigraphe in peripheriâ *Laurentio Iuſtiniano inter Sanctos relato*. Ad pedes: *Petro & Ioanne Landis Orat. Venet. adnitent*: Petrus enim Landus Venetorum Orator, poſtea Dux primus canonizationem procurauit, Ioannes abſo- D luit poſt annos centum & ſexaginta: quaſi Iuſtinianus Canonizationis ſuę ſolos Landos admitteret procuratores.

16. *Brunonem*. Vir inter literatos princeps cum exceſſiſſet e vità, tempore, quo Bruno Lutetiæ Pariſiorum ingenium bonis artibus excolebat; productus ad tumulum, ad illam canentis vocem *Reſponde mihi*, caput erigens defunctus, *Iuſto*, inquit *Dei iudicio accuſatus ſum*. Poſtridiè *Iuſto* (exclamat) Dei *iudicio iudicatus ſum*. Demùm die tertio, e fere-

tro

Digitized by Google

tro fulmen auditur, *Iuſto Dei iudicio condemnatus ſum*. Vmbra hæc hominis Brunonem mouit homines ſugere, & in ſyluis ſalutem quærere. Cartuſiæ Eremum aperuit, ſex ſociis ſecum ductis, quò ſeptem ſtellas pergere viderat S. Hugo Epiſcopus. Numerum enim ſtellarũ augent quotquot ad Brunonis partes accedunt. Si quæras Brunonis miracula, ædidit viuus & mortuus; quibus excitatus Alex. VIII. qui electionem ſuam die 6. Octobris, Brunonis natali partam eius patrocinio referebat, Sãctis adſcripſit. Nuñiſma infra habes in quo S. Bruno ſeptem ſtellis irradiatus ſeptem ſcilicet lociis, quos ſecum duxit in eremum. Aliud habes nummiſma in quo imagines ſanctorum Magni Epiſcopi Opitergenſis, & Brunonis anachoretæ, quod in horum natali fuerit Pontiſex inauguratus: vt ſupra adnotaui.

·17. *Aulonem*. Ad bellum ſacrum indè conuerſus, vt ex nummiſmate infrapoſito quo legitur *Legione ad bellum ſacrum inſtructa* mille ſcilicet peditibus Veneto conceſſis in Turcas. Hinc Religio dexterà Eccleſiã ſuſtinet; ſiniſtrà inſigniã Legionaria ſub gentilitiis Alexandri. Triremes ſollicitauit Melitenſes, Hetruſcas vt cum Pontificiis, quibus mille etiam pedites B impoſuit aluitq. ære ſuo, in Turcam accurrerent cum Venetis Marte quidem propitio, nam Duce Hieronymo Cornelio Aulonem, Elymam expugnauit, & Monembaſiam deditione tenuit. In Pannoniis verò recuperatà à Turcis Alba Greçà cum oppidis adiacentibus, cum nutare videretur cauſa Chriſtianorum ſubmiſit illicò Pontifex per tabellarium literas collii biſticas 50. millium ſcutatorum, ſexagiota mille Florenos paulò ante donauerat, ex decimis collatis à Clero Italiæ; 30. verò millia Iacobo Regi Britanniæ ne Gallum concitaret exclamantem aurum Eccleſię diſtribui C inimicis eius. Cęſar tamẽ accipere renuit indignatus, quòd in creatione Cardinalium intromiſſo Gallo, Germanus fuiſſet preteritus: donec Mortuo Ale. gratias egit Card. Colleg. Venetis etiã Ale. plura cõtulit; ferru nãq. & sãgui ne cũ ipſi Peloponeſsũ redimiſsent, adiecit eis

19. *Patronatũ Eccleſiarũ*, quo Epiſcopi in ſubiectis prouinciis Canonicos eligerẽt; Epiſcopos verò Senatus deſignaret. Breue laxauit more Regio, Reipublicę naturà coeuo; *Gratis* ſcilicet, exceptis Actuariorũ expenſis. Electus in Papã, aſsũptionẽ epiſtola ſua manu exarata Reipub. ſignificauit; quẽ morẽ ſeruauit etiam D Clẽ. XI. Eccleſię Ducali S. Marci Venet. dono miſit Pluuiale argenteũ Caſulã cũ Dalmaticis albas Phrigiatas auro. Eccl. Patriarchali Indumenta omnia Patriarchalia ex opere Phrigio, cũ Dalmaticis. Altari S. Laurentii in eadẽ Eccleſia Antependiũ Phrigiũ. Eccleſię Parochiali S. Seueri Venetiarũ, in quà ipſe renatus vndà Baptiſmatis, Antependiũ argenteũ cũ Caſulà, thenſa, puluinaribus duobus & theca,

Electionẽ Epiſcoporum in Peloponeſſo indulget Venetis.

Pluribus Eccleſijs munera mittit.

omnia ex opere phrigio. Cathedrali Brixienſi Antepẽdiũ ſericum phrigiatũ argento; Caſulam cum Dalmaticis albam phrigiatam auro. Baſilicę S. Marci Romæ tria Antependia ex ſerico argenteo cum pluuiali, caſula, Dalmaticis auro phrigiis. Thenſam etiam ad ornatũ Ciborii. Abbatiæ Vangadicienſi, cui longo tempore pręfuit, quatuor caſulas cum Pluuiali cum ſegmentis & limbis aureis. Eccleſię S. Bonifacii Leuadæ in agro Taruiſino, quatuor caſulas cum Pluuiali ſimiles. Eccleſię S. Margaritę de Ruſſignè in eodem agro quatuor A ſimiles caſulas cum pluuiali. Francisco etiam Maurocæno Venetorum Duci (qui profligatis in Peloponeſſo Turcis, pluribus prouinciis Rempublicam Venetam gladio ſuo maiorem fecerat) Internuntium delegauit Michaelem Angelum de Comitibus, Pontificis cubicularium nobilem, non mercenarium, qui vrbem propè, Nuntium Pontificis Venetiis ſtantem, certiorem fecit, nocte proxima ſe hoſpitem adfuturum, Hunc tamen Nũtius expectare nõ ſuſtinẽs, in inſula ei occurrit S. Georgii, indè in ædibus excepit Pontificiis, ad quas die Dominico Maii ſeptimo, miſſi à Senatu B Senatores quadraginta cũ veſte Ducali inter quos duo Equites, ad pedes ſcalarum, obuiuos habuère Nuntium, & Internuntium, qui poſt ſalutationis officia, inter duos Equites incedentes medii, in nauem deſcenderunt Ducales. Talari induebatur nigra Internuntius, veſte deſuper ſerico purpurea impoſita talari, abſq. ſyrmate ſuper humeros laciniatà, quà Romæ vti ſolent. Ei Capellanus præcedebat talari indutus nigro, enſem ferens & galeam. Bucentauro vecti cum plateam appuliſſent Ducalem, a longo nauium agmine in anchoris ſtantium ſalutati more militari, C deſcenderunt in plateam, nundinis annualibus exornatam versùs Eccleſiam gradum dirigentes, per portam ingreſſi maiorem, obuium habuere Ducalem Vicarium cum ſuperpelliceo, ſtola, pluuiali albo phryggio, almutio, cum duobus Subcanonicis in pluuiali & almutio, duobus acolythis cum colobiis, adſtante toto Clero Ducali ſub ſigno Crucis more ſolito. Ingredientibus Imaginem paciferam Vicarius obtulit oſculandam Nuntio Pontificis, inde Internuntio. Aſperſit eos poſtea Aqua luſtrali, tandem Nuntio incenſum ter, Internuntio bis adoleuit. Proceſſit inde Crucifer D inter ceroferarios cum Clero, & miniſtris ſupradictis, relicto ad portam maiorem ſacriſta hebdomadario in ſuperpelliceo ſtola & almutio, qui Senatores ingredientes aſpergeret aquà benedicta. Cum peruen iſſent in capellam Regiam, ſuper abaculum tapete inſtratum aureo, depoſitis enſe, & galeà; in gradibus Altaris, flexis genibus in puluinaribus aureis Nuntius, & Internuntius, vno tamen gradu inferior orauerunt. Inde ad ſedem in

Enſem & galeam mittit Duci Venetiarũ.

cornu

Digitized by Google

cornu epiſtolę paratam cum argyrothèca procedens Nuntius, vbi quatuor Canonici iam ſacris ornamentis induti Pontificalia obtulerunt ad Miſſæ celebrationem ſolemnem cum ſymphonia & muſica. Receſſit interim Internuntius cum Senatoribus, inter Equites medius ex choro, & per portam S. Iacobi ſcalas conſcendens Gigantum, in aulam venit Rogatorum, poſt ſalutatum vbi Principem, inſignibus Ducalibus deſcēdentem cum Senatorū comitatu, proſequutus comitē habuit a ſiniſtris Iudicem *Proprij*. Per portā maiorē venit Princeps in templum, eodemque tempore acceſ- A ſerunt ad Altare ipſe & Nuntius indutus Pontificalibus, vbi factà confeſſione, celebrataq. Miſsa de S. S. Trinitate cum ſolitis cæremonijs, & Muſica, abſentibus Oratoribus Principum, cantato Euangelio, quod oſculo Celebrantis Diaconus obtulit, eumq. Subdiaconus ter adoleuit; illud poſt celebrātē ſimiliter Princeps deoſculatus, & ter incenſatus; miniſtri Internuntium ſemel incenſarunt primum in ordine ſtantem in ſcamno Conſiliariorum, & poſt eum Senatores ſingilatim vt de more. Dicto *Ite Miſſa eſt*: poſito Faldiſſorio in Medio Altaris ſedit Nuntius B cum mitrà. Internūtius verò ſurgens è ſcamno venit ad Principem, cui reuerēter inclinatus, Breue obtulit Pontificium, eum primò oſculando; Accepit illud Princeps manu ſuà oſculatuſq. paginam, ſecretario obtulit, qui poſt ſuæ manus oſculum, accepto Breui ad Altare perrexit, vbi ſuper gradum poſitum in cornu Epiſtolæ, aperuit, altaq. voce legit, ſedente Principe cum Internuntio & Senatu; inde loco ſuo reſtitutus Secretarius; Altare conſcēdit Internuntius, acceptumq. enſem & galeam poſuit in Altari; accedentiq. Principi ad gradum ſecundum eiuſdem Altaris genuflexo ſuper tapete & puluinari aureo, acceptum pileum Nuntius de manu Internuntij, impoſuere ambo ſuper caput eiuſdem Principis, verba illa recitans Nūcius *Accipe Dux Sereniſſime Galerū hunc &c.* ex Ceremoniali quod ſuſtinebant miniſtri, inde nudatum macronē pari ritu ponunt, in manu dexterà Principis, recitando *Accipe inſuper macronem Domini &c.* poſtea enſe in vaginam recōdito à Capellano Internuntij cinxère Principem ſub illis verbis; *Accingere te gladio tuo &c.* ter eum benedicens Nuntius. Armis tandem depoſitis, traditiſq. Ducali Cancellario, poſt mutua ſalutationis officia, D redijt ad ſolium Princeps, ad ſcamnum Internuntius; dataq. ſuper populum a Celebrante benedictione, cum ſolita centum dierum Indulgentià Celebrans abiit per gradus Epiſtolæ, quorum in vltimo depoſità caſulà, accepto Pluuiali ſedem ſcandit, audiens Euangelium S. Ioannis, a Diacono recitatum, genuq. flectens in puluinari ad verſiculum, *Verbum Caro factum eſt &c.* quo abſoluto, Nuntius abſque mitra, pedum tenens manibus iunctis, ſtans *Te Deum &c.* intonuit, genu flectens ad verſiculum *Te ergo quæſumus &c.* recitataq. oratione ſolità dum modulum muſici canerent; Pontificalibus depoſitis, ſcamnum petiit Oratoribus Regum deſtinatum, præcedente cæremoniarum Præfecto vſque ad medium chori, & inde vſque ad ſcamnum, aulæ præfecto Sereniſſimi Ducis. Rediere tandem more ſolito, vſque ad ſcalas Gigantum, vbi ad pedes relicti Nuntius & Internuntius ſalutatis Senatoribus ſingilatim pertranſeuntibus, abiere; muneribus donatus Internuntius a Principe & a Senatu.

Epiſtola Alex. VIII. R. P.

ad

Franciſcum Maurocenum Venetorum Ducem,

Alex. P. P. VIII.

Dilecto filio Nobili Viro Franciſco Mauroceno Duci Reipublicę Venetiarum.

Dilecte Fili Nobilis Vir Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ea, quæ Chriſtiana Republica ad amplificationem & gloriam aduerſùs immaniſſimū eiuſdem hoſtem, Terrà Mariq. ſtrenuè egit Nobilitas Tua, tam multa ac tam præclara ſunt, vt peculiarem quandam à Nobis, quos in primis afficiunt præfatę Republica incremento grata voluntatis reſponſionem planè repoſcant. Quamobrem officij noſtri partes impleturi, Enſem, Galeamque quibus Prædeceſſores noſtri Romani Pontifices inclytos ipſiuſmet Republica Athletas inſignire conſueuerunt, dextera nos ac capiti tuo libentiſſime addiximus, exiſtimationis quam de virtute ac fortitudine tua gerimus ſplendidū & manſurum documentum. Vtrumq. munus Apoſtolicis benedictionibus abunde ditatū, a Venerabili fratre Ioſepho Archiep. C Theſſalonicenſi Nuntio noſtro Nobilitati Tuæ ritę tradendum deferet illuc dilectus filius Michael Angelus de Comitibus Cubicularius noſter, quem præſtantes virtutes atq. animi dotes, familiā ex quà ortus eſt, fulgorem æquantes, admodum commendant. Præcipuis autem humanitatis ſignificationibus excipiendum eumdem a te, prò exploratu habentes, non omittemus nos rogare illum, à quo bona cuncta procedunt, vt Apoſtolicam benedictionem, quam Nobilitati tuæ, vniuerſæq. Venetiarum Republica, quæ tantum Ducem ſortita eſt, ex omni cordis noſtri ſenſu impertimur, vberi beneficentia ſua largitate cumulatam velit. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub An. Piſcatoris. Die 8. Aprilis. 1690. Pontif. N. An. 1.

Marius Spinula

Dificultas etiam cum emerſiſſet aduersùs iuriſdictionem Primicerij, qui ex indultis Romanorum Pontificum, plurium ſęculorum vſu fulcitus, Iuriſdictionem exercet ſpiritualem in Eccleſijs Ducalibus independenter à Patriarcha, Confeſſionibus Pęnitentium excipiendis

Sa-

Sacerdotes deſignando, dimiſſoriales ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, relaxat; Alexander VIII. P. R. veterem Iuriſdictionem non ſolum confirmando, ſed etiam ampliando, Bullam publicauit ſequentem.

Alex. VIII.

Ad perpetuam. Ad Apoſtolicæ dignitatis faſtigium, nullis licet meritorum noſtrorum ſuffragiis, per ineffabilem Diuinæ Bonitatis abundantiam euecti, erga ſtatum omnium Eccleſiarum, præſertim inſignium, quarum nobis a Domino commiſſa eſt ſollicitudo, perſonarumq. in eis primarias dignitates obtinentium, propenſis ſtudiis iugiter intendimus, eorumq. decori, & dignitati paterna benignitate libenter conſulimus, ſicut perſonarum, & rerum qualitatibus mature conſideratis ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Cum itaq. (ſicut accepimus) Inſignis Collegiatæ Eccleſiæ S. Marci Venetiarum, quæ ab Ordinaria iuriſdictione exempta, Sediq. Apoſtolicæ immediate ſubiecta exiſtit, Primicerius pro tempore exiſtens, qui dignitatem inibi principalem obtinere dignoſcitur, quamplurimis huiuſq. per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam conceſſis priuilegiis decoratus reperiatur, adeo vt inter cætera vigore priuilegiorum huiuſmodi, primam Tonſuram perſonis eidem Eccleſiæ inſeruientibus conferre, ac præterea in omnibus Actibus ſolemnibus, & Proceſſionibus Mitra & baculo, aliiſq. Pontificalibus inſigniis in Eccleſia prædicta, & aliis eccleſiis illi ſubiectis vti, & indumenta ac ornamenta Eccleſiaſtica quæcumq. in quibus Vnctio ſacra adhibenda non eſt, pro vſu earumdem Eccleſiarum benedicere, nec non in prædicta Eccleſia S. Marci, & aliis ſubiectis Eccleſiis ſolemnem benedictionem ſuper Populum impendere poſſit; quin immo etiam vlterius ab immemorabili tempore idem Primicerius perſonis Eccleſiæ huiuſmodi ſeruitio addictis literas dimiſſoriales ad omnes etiam ſacros & Presbyteralem Ordines concedere, nec non Presbyteros, quos priuato examine per ſe, vel alium, ſeu alios, ad ſacras Chriſti fidelium Confeſſiones audiendas approbandos duxerit, pro eiſdem [illegible] Chriſti fidelium ad Eccleſias præfatas confluentium confeſſionibus excipiendis deputare, iiſq. opportunam ad id licentiam concedere hactenus conſueuerit: Nos conſiderantes Eccleſiam S. Marci ſupradictam ingentibus ſumptibus ſplendidiſſime extructam, ac ditiſſime exornatam, præclarioribus in dies dilectorum Filiorum Nobilium Virorum Ducis & Dominii Venetorum, pietatis & magnificentiæ in eam augmentis celebriorem extitiſſe, nec non ſingularibus in Nos, & hanc S. Sedem, Ducis & Dominii Præfatorum, Catholicæ Fidei conſeruandæ & propagandæ Zelo aliiſq. eximiis virtutibus, atq. decoribus multipliciter præfulgentium meritis adducti, ipſamq. Eccleſiam S. Marci, & illius pro tempore exiſtentem Primicerium amplioris honoris prærogatiua decorare, ac aliquod Paternæ noſtræ erga Ciuitatem Venetiarum Patriam Noſtram dilectiſſimam beneuolentiæ monumentum extare cupientes, nec non dilectum filium modernum dictæ Eccleſiæ Primicerium a quibuſuis excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, ſententiis, cenſuris, & pœnis a iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolutum fore cenſentes, motu proprio, ac ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtris, deq. Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine eidem moderno, eiuſq. ſucceſſoribus Eccleſiæ ſupradictæ Primiceriis in perpetuum, vt eiſdem perſonis quibus de præſenti vigore priuilegiorum præfatorum, pri-

A *mam Tonſuram conferre poſſunt, etiam quatuor minores Ordines, dummodo aliàs ſint idoneæ perſonæ prædictæ, ſimiliter conferre, nec non ad maiorem cautelam, quatenus opus ſit, vt idem modernus & pro tempore exiſtentes Primicerii, prout hactenus conſueuerunt perſonis huiuſmodi literas dimiſſoriales ad Clericalem characterem, & ad omnes & ſacros & Presbyteratus Ordines ad effectum illos, & extra tempora ad id a iure ſtatuta, vel non ſeruatis temporum interſtitiis, ac licentiam a Sede Apoſtolica deſuper obtinuerit, aut in vim decretorum Concilii Tridentini, & in caſibus ab eodem Concilio conceſſis intra annum, alioquin minime expectato*

B *a quacumq. quem maluerint Catholico Antiſtite gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habente ſuſcipiendi concedere. Nec non prout ſimiliter hactenus conſueuerunt, Presbyteris qui ab iiſdem moderno & pro tempore exiſtentibus Primiceriis per ſe, vel per alium, ſeu alios priuato ad Sacras Chriſti fidelium Confeſſiones audiendas examinati, & approbati fuerint, quarumcumque vtriuſq. ſexus perſonarum ad præfatam S. Marci, & alias illi ſubiectas Eccleſias deuotionis cauſa confluentium confeſſiones audiendas, iiſq. ſalutarem pœnitentiam, & alia iniungendis iniunctis abſolutionem impendendi, licentiam impartiri liberè & licitè poſſint, & valeant,*

C *tenore præſentium facultatem concedimus, & impartimur; decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumq. etiam ex eo, quod quicumque etiam ſpecifica & indiuidua mentione digni in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neq. cauſæ propter quas præſentes emanarunt ſufficienter adductæ, verificatæ, & iuſtificatæ fuerint, aut ex alia quacumq. quantumuis iuſta, legitima, pia, & priuilegiata cauſa, colore prætextu, & capite etiam in corpore iuris clauſo, nullo vnquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ aut intereſſe*

D *habentium conſenſu aliove quocumq. etiam quantumuis magno, & ſubſtantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, indiuiduamq. expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, ad terminos iuris reduci, aut in controuerſiam vocari, ſeu aduerſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudue quodcumq. iuris facti vel gratiæ, remedium impetrari vel intentari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo vel emanato quem-*

quempiam in iuditio, vel extra illud uti, ſeu ſe iuuare poſſe, ad ipſas præſentes literas ſemper perpetuò firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſq. plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumq. ſpectabiles omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſicq. & non aliter in præmiſſis per quoſcumq. iudices Ordinarios & Delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores ac S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos & Apoſtolicæ Sedis Nuntios, alioſuè quoſlibet quacumq. præeminentia & poteſtate fungentes & functuros eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpre- A *tandi facultate & auctoritate iudicari & deffiniri debere, ac irritum & inane, ac ſecus ſuper his a quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obſtantibus Apoſtolicis, ac Vniuerſalibus, Prouincialibuſq. & Synodalibus Conciliis, Edictis generalibus vel ſpetialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, nec non quatenus opus ſit, dicta Eccleſia S. Mariæ, aliiſuè quibuſcumq. etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque Indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumq. verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſcumq. etiam derogatiarum derogatorijs,* B *aliiſq. efficacioribus efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſq., & aliis decretis in genere, vel in ſpetie, etiam motu ſcientia & poteſtatis plenitudine paribus, ac Conſiſtorialiter, & alias quantumlibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, confirmatis, & pluries innouatis; Quibus omnibus & ſingulis etiam ſi pro eorum ſufficienti derogatione de illis, eorumq. totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret tenoris huiuſcemodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo & forma in illis tradito obſeruata exprimerentur, & infererentur præſentibus prò planè & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſè derogamus ac derogatum eſſe volumus, cæteriſq. contrarijs quibuſcumq. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem. Die VIII. Aprilis 1690. Pontiſ. noſtri Anno Primo.*

Cardinalis Albanus.

20\. *Pœnitentia glorioſa.* Vaticinium fuit S. Malachiæ de futuro Alex. VIII. Pontificatu, D quod in eius morte adimpletum ſuſpicor. Cum enim die 24. Aug. 1690. in Congregatione generali aduerſus hæreticam prauitatem, pro cuſtodia gregis ſibi commiſſi ſequentes propoſitiones examini datæ fuiſſent.

1\. *Bonitas obiectiua conſiſtit in conuenientia obiecti cum natura rationali: Formalis verò in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit, vt actus moralis tendat in finem ultimum interpretatiuè. Hunc Homo non tenetur amare, neq. in principio, neq. in decurſu vitæ ſuæ Moralis*

2\. *Peccatum Philoſophicum ſeu morale eſt actus humanus diſconueniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & mortale eſt tranſgreſſio libera diuinæ legis. Philoſophicum quantumuis graue in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt graue peccatum, ſed non eſt offenſa Dei; neq. peccatum mortale diſſoluens amicitiam Dei, neq. æterna pœna dignum.*

Quarum primam declarauit hæreticam. Secundam ſcandaloſam, temerariam, piarum A aurium offenſiuam, & erroneam; ſub pœna excommunicationis in eos, qui illam docerent defenderent, vel ederent &c. Hæc circa mores: cum autem circa Iuriſdictionem, conſtantiã predeceſſoris Innocentij XI. in tuenda Eccleſiæ immunitate, ac libertate inſequi diſtuliſſet, ſpe lactatus frugis melioris, ſed nullo fructu: vnde in creatione Cardinalium, contradictione præterita *Leandri Coloredi* Cardinalis, promouere cum voluiſſet Tuſſanum de Fourbin Gallum, qui lingua, calamo *Regaliam* propugnauerat; aſſerenti Pontifici etiam Æneam Syluium ſcripſiſſe contra Primatum B Cathedræ Romanæ, promotum tamen in Cardinalem & Papam, cum Coloredus reponeret; Æneæ Syluij conſtare retractationem, non autem Tuſſani; Pontifex finem impoſuit, aſſerendo ſe in marſupio Tuſſani retractationem tenere. Hæc Alexander, ſperans demulcire Gallum, vt geſta contra Eccleſ. Immunitatem reuocaret. Veruntamen ſentiens ſibi imminere mortem, Gallo minimè retractante, nè apud poſteros malè audiret, quaſi lenitate ſuà iura ſubuerteret Eccleſiarũ, & prædeceſſore minùs coſtans contumaces clementià foueret, accitis ad ſe Cardinalibus, C prò cathedrà ſedens ea damnauit, quæ Pariſiis, 19. Martii 1682. Epiſcopi decreuerant mandato Regio congregati. Quorum vt breuem habeas notitiam, recole quæ ſupra dedimus in vita Innocentii XI. *pag. 65.* vbi nonnulla nos etiam fugierunt. Ioſephum Archiep. Tholoſ. Regaliſtarum Principem per literas monuerat Papa Sanctiſſimus ommiſsà in epiſtolà benedictione Apoſtolicà, vt Archiepiſcopus agnito ſtatu ſuo miſerabili, ad Eccleſiam rediret. Nil tamen Papa profecit, in peius Archiepiſcopo laſciuiente, vt ex epiſtola *Ioannis Cerle* noui Vicarii in locum exulum ab Appamienſi D Capitulo ſubrogati.

Ad Innoc. XI. P. M. epiſtola Io: Cerle Vicarij Generalis Appamienſis Eccleſia, Sede vacante.

Beatiſſime Pater

Poſt humillima pedum oſcula, Sim licet puluis, & cinis, ea tamen fretus benignitate, qua nos ouiculas veſtras tanquam bonus Paſtor Appamienſis humeris geſtatis, & ſacro gremio confouetis; non verebor ad vos Dominum meum loqui, & in ſanctitatis veſtræ ſinum

meas, & tristes Appamienſis Eccl. lacrymas effundere. Sed quod lacrymas mæroremque loquor, cum nobis potius lætandum ſit [ſi quidem veri Chriſtiani ſumus] illudque Pauli vnicuique noſtrum vſurpandum: Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in Domini tribulatione noſtra.

Quanta ſit hæc mea tribulatio, Pater Sanctiſſime enarrare quis queat? Dum enim Sanctitas veſtra pendente iſtiusmodi negotij tractatione non ſolum poneret fulmina, ſed & efferatos tot aduerſariorum meorum animos, omnimodis paternæ Clemētiæ officiisco- A naretur nobis conciliare, & induciarum ſidus, & ſpes propediem adfuturæ pacis ſecuritatem pollicerētur: ecce repentina tempeſtas ingruit. Quodque Sede vacante nihil innouare paſſi ſumus, & nulla ratione adduci vnquam potuimus, vt annathematizatos, & publicè denunciatos Regaliſtas in comunem ſententiam admitteremus: bonis, Patria, libertate ſpoliamur: erramus in ſolitudinibus, egentes & anguſtiati: vinculis, catenisque conſtricti per oppida circumducimur ad terrorem omnibus incutiendum: cum ſicarijs, ac parricidis, teterrimis ergaſtulis concluſi, B ſuſpiria mittimus ſurdis auribus excipienda: quid plura? Maledicimur, & blaſphemamur: extra ſynagogam faciunt nos & ne quid malis noſtris deſit, in occiſionem quoque mittimur.

Stupenda, ſed vera loquor, Pater Sanctiſſime extinctus enim eſt ſublatuſque duriſſimi Carceris incommodis R. P. Cerla, Canonicus, ac Prior noſter, felix quod libertatis Eccleſiaſticę prima victima cecidit. Fuerat ille Generalis Epiſcopi noſtri in reſtauranda huius noſtri Capituli ſanctiore diſciplina adiutor, & adminiſter pręcipuus: iamque ſeneſcebat, ſuæ noſtręq. ſaluti, ſedulo inuigilans, cum ecce afflictis C nobis, & lacrimantibus repente, violenter eripitur. Nulla Innocentiſſimo ſeni qui vultu ſanctimoniā ſpirabat, habita eſt reuerētia laboribus morbis, & extrema macie confectus rapitur, trahiturque in vltimos Gallię receſſus, ibique in quadam arce includitur? quæ cum ſit ad litus mediteranei maris, ſub peſtilenti Aere poſita, optimo ſeni exitio fuit. Morienti, ac benefactori, cum lacrimis poſtulanti Ecc. Sacramēta negata ſunt: quod cuius ſcelere factum ſit, nondum plane ſcire potuimus. R. Patrem Michaelem d'Aubarede Presbyterum virtutibus, quàm natalibus nobilio- D rem, quem putabamus exilio tunc mulctatum, audiuimus ductum Cadomum, ibique in Carcerem detrusūm. R.P. Rech, tam arcta cuſtodia incluſus conſtrictuſque eſt, vt quid de eo factū ſit penitus ignoremus, niſi quod à non leui auctore didicimus, multas illum initio præſertim ærumnas eſſe perpeſſum: quodque fidem ſuperare videtur; multi temporis inedia excruciatum; Cæteri Canonici Regulares fratres mei ſedibus ſuis pulſi, in variis oppidis inter ſe, & à nobis diſſitis triſtiſſime [ſecundum hominem loquor] meſtiſſimequè vitam agentes exulant.

Ego peccator, peccatorum quamuis ſolus relictus ſum, vt hæc nunciarē ſanctitati veſtræ Quamquam quis relictum, intactumque putet, hominem toties proſcriptum publicatumque tam diligēter quęſitum, quem ſiquis in domum admiſerit, in ſummo bonorum libertatiſque periculo verſatur? Ad quem capiendum Gubernator, & præſes Prouinciæ ingentis mercedis pollicitatione omnes, ac ſingulos cohortatus cui vincula, triremes, & acerbiora ſortaſſe ſupplicia parata ſunt? Sed hæc mala Beatiſſime Pater culpæ meæ, atque adeo flagitia in caput meum iuſto Dei iudicio inuexerunt: eum ſodales mei, quorum conſortio, nec mundus, nec ipſi digni ſumus, non vt hoſtes, ſed vt filii, non in pęnam, ſed in probationem, & in præmium flagellentur.

Sic premimur, ſic affligimur P. Beatiſſime. Nec mitius habentur, quicumque ſuſpecti ſunt, auxilio nos, conſilioque iuuare ſuo, aut propenſiore beneuolentia nos proſequi: non modo periculoſa, ſed etiam exitioſa res eſt amicitia noſtra quemadmodū experti ſunt. In his Albienſis Eccl. Theologus noſter Duſerrier vir inter noſtrates, ſi quiſquam alius de Eccleſia benemeritus pietate, eloquentia, rerum Eccleſiaſticarum peritia conſpicuus, quem bonus quiſque Epiſcopus complectitur; non modo vt filium, ſed & audit vt Magiſtrum, reueretur vt patrem. Hunc in extremam ſenectutem vergentē in vltimos Burgundiæ fines ablegarunt, non alias certi criminis reum, niſi quod aduerſarijs in ſuſpicionem venerit Venerab. Epiſcopo noſtro & nobis conſilium aliquando dediſſe. Simili pęna, & ob eandem cauſam affectus eſt Presbyter alius nomine Iacobus Cazanaue, qui Eccleſiam Toloſanàm eximia pietate, & Accademiam ſingulari doctrina colluſtrat.

Oboriuntur mihi lachrimæ, cum de nobili quodam adoleſcente mentionem facio, qui quod mandatum aliquod noſtrum Appamienſis Eccleſiæ foribus appendiſſet in horrendas ſubterranei carceris tenebras proiectus eſt, ibique ſætore, aliiſque loci moleſtiis propemodum enectus, vt præ magno beneficio habuerit, hinc eductum ad Tribunal extraordinarii Iudicis magna cum ignominia trahi, capitiſque periculum adire. Plus illi nocuit vnus è noſtris qui conſanguineus eius, eſt, quàm proſit habere patruum inſignem militiæ virum, & rebus geſtis toto orbe conſpicuum. Quare profecto ſi quo alio argumento intelligi poteſt, quanta ſit adverſariorum acerbitas, odiorumque magnitudo.

Alios permultos omitto P. Sanctiſſime pro cauſa Dei extrema quæque ſubeuntes. Sed

hæc

Digitized by Google

hæc quanta ſint? leuia fortaſſe videbuntur, ſi conferantur cum execrando illo ſciſmate, quo in Ecclesia Appamienſis tunica Chriſti inconſutilis ſcinditur.

Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Toloſanus non dubitauit Presbyterum quẽdam mittere, qui per ſummam vim nobis omnibus expulſis in illa Eccleſia, Sede Vacante, vices illius ageret: reuera vt ſponſa Chriſti Regaliſtis, vt vocant, conculcandam, adulterandamque traderet.

Religio magna eſt, ac ſumma pietas huic Vicario Genarali partam contra Canonicas ſanctiones, auctoritatem, armis, quibus tota Regio proſtrepit, aſſerere, anathemate perculſos homines altaribus admouere. Plebẽ Chriſtianã ad celebrãda cũ excomunicatis myſteria, & ab ijs ſacramẽta ſuſcipiẽda renuẽtem licet, & fidem ſacrarum legum obteſtantẽ immiſſis militibus adigere: Monacos, & Sanctimoniales in obſequio remanentes ab vſu ſacrorum arcere, & monaſterijs ſuis eijcere: ſororẽ Epiſcopi noſtri, alterã Tabitbam viduam Dynaſtæ Mirapiecenſis (quod nomen inter primares Regni percelebre eſt) quæ iam multos annos erudiendis in Chriſtiana diſciplina pauperibus puellis, cum nonnullis pijſſimis Virginibus, quas ſecum alebat; ſumma cum humilitate vocabat: Appamijs expellere: Seminarij Domum, qui locus orationi, pijs lectionibus, religioſo ſilentio ſacer hucuſque fuerat, Regaliſtarum clamoribus, aleis, compotationibus in multã noctem protractis, fædanda relinquere. Appamiarum Prætori, Prouinciæ Fuxenſis proregi. Aquitaniæ Præſidi, eorumque miniſtris Eccleſias, ac monaſteria diripientibus, rapiniſq. ac ſacrilegijs cuncta miſcentibus, non ſolum non reſiſtere, ſed & omni ope fauere adniti, præſto eſſe.

Tot tantiſque flagitijs ex vno ſciſmate tanquam ex ſuo fonte profluentibus, acceſſit hæreſis. Aiunt enim homines iſti Eccleſiæ perduelles, ac publicis inſtrumentis conſignant: ius iſtud Regaliæ non aliunde adſeitum non Eccleſię, aut Sanctiſſimæ Sedis beneficio partum: ſed ipſis legibus innatum, ipſoſq. ſceptro, ac diademati, maiorum legibus ita eſſe coniunctum: vt ab ijs nulla ratione diuelli poſſit: hoc eſt licere laicis quatenus laici ſunt, ſi modo rerum potiantur, pręcipua Epiſcoporum obire munia: Canonicos, qui Sede Vacante ſpiritualem Iuriſdictionem habent, efficere, Theologos ad prædicandũ Dei verbum mittere: Parochis curandas animas tradere, & alia id genus multa præſtare. Qui error B. Sanctiſſime Henricianæ Hęreſi, toties à S. Sede profligatę non modo ſimilimus eſt; ſed ea peior, multoq. peſtilentior. Quod enim Henriciani obſcuri, & quaſi per ambages innuebant; iſti palam profitentur, & prędicant. Ex inueſtituris veniebatur? quidem ad hęreſim at ſenſim, nec niſi per multos gradus. At in regalia ſtatim ſe prodit, & quæ olim in inueſtituris erubeſcebat: os frontemq. meretricis aſſumit hęreſis.

Huius pręcipui fautores P. Beatiſſime (horrens, lugenſq. dico) R.R.PP. ſocietatis Ieſu cenſentur, & ſunt non mentior Petro, qui ſcio coram ſe mentientes verbi ſui mucrone, aliquando interemiſſe. Hi enim priuatis colloquijs, publicis profeſſorum pręlectionibus, libris quoq. in lucem editis, Regnantium in rebus Eccleſiaſticis authoritatem euehunt, & A extollunt. Hi ſummos Pontifices, quorum conſtantia in vendicanda Eccleſiæ libertate, omnium ſæculorum venerationem promeruit, tanquàm, aut plus ęquo credulos, aut nimium in conſilijs præcipites, aut gerendæ rei parum idoneos ſpernunt: ſcomatibus, dicterijſq. proſcindunt. Non habent alios regaliſtę conſiliarios, patronos, amicos: per hos fit illius in Aulam aditus: Horum conſilio, ſuaſuq. multi, quos antea religio impediebat, fractis tandem conſcientię repagulis, in beneficia regaliæ (vt mentiuntur) obnoxia, impetù facto irruerunt. Vt ne immerito quippiam dixerit: B Regaliæ parentẽ & Patrẽ Ferrier: nutritium, & educatorem Patrem de la Chieſe: pręconem P. Maimburg. Defenſores, & Aduocatos, atq. adeo milites, cæteros omnes Ieſuitas. Quod quidem mirum nullatenus videri debet: pinguiores enim Regaliæ fructus ſocietas percipit: nam cum huiuſmodi beneficia ex nutu fere, ac voluntate Confeſſarij conferantur à Principe: nulla re magis ſocietatis potentia prouehitur: Hoc illi familias deuincit, hoc innumerabilem clientum multitudinem illi conciliat.

Quod pertinet ad Archiepiſcopum Tolo-C ſanum, vt eſt Ieſuitis in cæteris rebus addictiſſimus ita in opprimendis nobis coniunctiſſimus Huius erga Sanctã Sedem animũ nulla res magis demonſtrat, quam quod nuper recepto Apoſtolico Breui præſtitit. Vocat illico Regium Notarium, iubetq. ſcribere: nefas eſſe ſibi vllum Pontificium reſcriptum iniuſſu Regis, aut legere, aut aperire. Eam eſſe Concordatorum fidem: ſic expoſcere Eccleſię Gallicanæ libertates. O miſerã libertatẽ omni ſeruitute crudeliorem, qua diriſſimo ſæcularium poteſtatum iugo Gentium Regina ſubijcitur: totq. habet ergaſtula, quot ſunt in Gallia Iuriſdictiones: D Curiæ.

Ad iſtius huiuſmodi calamitoſam libertatẽ pertinet, quod nuper in Senatu Toloſano authore Illuſtriſſimo Archiepiſcopo factum eſt. Nam cautum fuit, nequis in poſterum vllum Apoſtolicum Breue reciperet, quod non eſſet prius in Concilio Regis excuſſum ipſiq. probatum: mulctaq. immenſa dicta ei, qui ſecus facerent.

Ego vero, quod Breue miſerim, ac vnus è

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Canonicis noſtris, obtulerit in pœnam neſcio, quàm grauiſſimam certe, diligentiſſime quærimur.

Ecce Santiſſime Pater, non Appamienſis modo, ſed totius Eccleſiæ Gallicanæ miſera, & ærumnoſa conditio. Hæc ad ſanctitatem veſtram ſupplices manus tendit, quantum per vincula, quibus atteritur, tendere licet. Conſolamini precor; mærentem, erigite conculcatam, vinctam, captiuamq. redimite. Pereat Pater Sanctiſſime, ſpes aduerſariorum meorum qui totam vincendi fiduciam in eo collocant, quod triſtiſſimum, acerbiſſimumq. luctum, vniuerſo Chriſtiano orbi afferre debet. Quorſum enim negotium iſtud in tam longas, tanquam affectatas moras protrahitur, ſperant, nimirum, nec diſſimulant, extinctis tum Electenſi tum Appamienſi Venerandis Præſulibus, qui duo ſols conatibus eorum aduerſabantur litem ipſam, ex ipſorum voluntate, ſub alio ſummo Pontifice finem propediem habituram.

Quod quidem, vel cogitaſſe ſcelus, & parricidio ſimilimum. Sed hęc tam impia tam crudelis expectatio diuinæ Prouidentiæ munere decipietur. Viuet, viuet in multos annos Sanctitas veſtra, Eccleſiã Gallicanã non modo Regaliæ compedibus liberabit, ſed alia quoq. vetuſtiora ipſius vincula catenaſque confringet. Cuiuſmodi ſunt, extincta prorſus Eccleſiæ iuriſdictio. Clericorum omnium peſſundata dignitas: & ea portenta, quæ vocant Appellationes ab vſu, quibus quidem per ſummam temeritatem, & ſupra Epiſcopale faſtigium, & ſupra Sanctam Sedem erigit ſe ſeculare Tribunal.

Hæc ſunt vota Sanctiſſime Pater, non noſtra duntaxar, ſed omnium ferè tum Clericorum, tum Epiſcoporum totius Gallię, quorum eadem eſt nobiſcum ſententia, & ſi prę metu longa ſit diſpar agendi ratio.

Quod ad nos attinet P. Beatiſſime, Immenſas Sanctitati Veſtræ gratias referimus; non ſolum quod nos, cauſamq. noſtram Paternã benignitate proſecuta ſit: ſed & quòd ad noſtram tenuitatem ſcribere indignum Apoſtolico vertice minime putauerit. Quã in re P. Beatiſſime, ſicut in cæteris omnibus, ſummorum Apoſtolorum veſtigiis inſiſtitis; nam & Paulus prò Oneſimo fugitiuo mancipio, & Diſcipulus Domini, electę fæminę Canonicam ſcripſit Epiſtolam. Nos verò ea res, & honore cumulat & ſolatio plurimum afficit: quemadmodum Machabęi inter tot aduerſa nullum aliud rebus ſuis perfugium, fomentumq. quęrebant, habentes ſolatio Sanctiſſimos libros: ita nos tot malis iactati, tot incomodis affecti, vix tanti doloris acerbitatem ſentimus, habẽtes ſolatio Apoſtolicas litteras. Ignoſcat precor Sanctitas veſtra, quod ad ipſam minus decenti carta ſcribere non dubitauerim. Iſtum non meę culpę, ſed fugę tribuendum. Veſtros Apoſtolicos Pedes exoſculari, ſacraque veſtigia adlambere gloriatur Sanctitatis Veſtrę Humillimus & obſequentiſſimus famulus, & in Chriſto filius Ioannes Cerla Vicarius Generalis.

His auditis Innocentius, nè aduerſarii, prętextu ignorantię, excuſationem quęrerent in peccatis, literas repoſuit ſequentes.

Innocentius Papa XI.

A *Dilecti Filij, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Quoniam nouas in dies prodire accepimus Satanæ artes, & machinationes: vt quę à piæ recordationis Franciſco Epiſcopo veſtro pro iſtius Eccleſię, & Diœceſis vtilitate ſalubriter ſtatuta fuere, penitus euertat. Et eorum quæ huc vſquè acciderunt, experientia nos admonet, non defuturos filios perditionis, errare facientes in viâ plurimos, qui miſcere, ac turbare nituntur omnia perperam interpretando litterarum, ac mandatorum noſtrorum ſenſus, vt excuſent pro more ſuo excuſationes in peccatis. Nos nè vllum huiuſmodi hominum molitionibus locum relinquamus, ad literas, quas die ſecunda menſis Octobris, ſuper negotio Vicariatus Capitularis ad vos, dedimus, vberiùs explicandas per pręſentes addendum duximus.*

B *Quòd ſi quis præter Vicarios Capitulares, qui à vobis veram Appamienſis Eccleſiæ Capitulum conſtituentibus, Canonicè, & de more electi fuerunt, vel pro re natâ eligentur, quoſquè nos authoritate Apoſtolicâ, quatenus opus ſit, confirmamus, & reſpectiuè confirmabimus. Vicariatus eiuſmodi nomen, & authoritatem quocumquè titulo electionis, vel deputationis facta ab intrufis in Canonicatus eiuſdem Cathedralis, quos idem Epiſcopus promulgatis obſtrictos cenſuris generalis Concilij Lugdunenſis, vel ab ipſo Metropolitano, vel ab aliâ quacumquè poteſtate vſurpare præſumpſerit: omnia ab ipſis eo nomine acta, vel agenda, decreta, vel decernenda cum omnibus, & ſingulis indè ſecutis, & quomodolibet ſecuturis, temeraria, & à non habentibus poteſtatem attentata, ideòquè irrita, & inania, àc nullius roboris fuiſſe, nec vnquàm fore declaramus. Eiſquè, qui prætextu electionis vel deputationis eiuſmodi vllam iuriſdictionem exercere auſi fuerint, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnâ maioris excommunicationis, & priuationis dignitatum, & Beneficiorum, quæ obtinent, & ad alia obtinenda inhabilitatis perpetuæ ipſo facto*

C D *incurrendà diſtrictè prohibemus, & interdicimus, nè id facere vlteriùs præſumant. Eos quoque qui illis quomodòlibet paruerint, aut fauorem, conſilium, authoritatem quocumquè modo præſtiterint; cuiuſcumquè ordinis, gradus, & dignitatis ſint, tàm Laicos quàm Clericos, tàm ſeculares, quàm Regulares etiam Patres Societatis Ieſu, & Metropolitanum ipſum, quem cæteroqui præter cauſæ meritum, eſt perſpecta voluntas noſtra, & per nos admiſſa appellatio ab eius ſententijs, debent in officio continere, ſimiliter*

reſpe-

reſpectiuè pœnis eo ipſo, & abſquè alia declaratione innodamus, & innodatos fore decernimus, ac mandamus; ac earumdem pœnarum abſolutionem, & relaxationem nobis, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti dumtaxat ſpecialiter reſeruamus, monentes inſuper vtriuſque ſexus fideles de quorum æternâ ſalute ſolliciti eſſe debemus, inualidas eſſe, ac fore confeſſiones, quas Presbyteri ſæculares, vel Regulares vigore facultatis à prædictis nulliter electis, vel deputatis Vicarijs audiuerint, vel in poſterum audient, nulla, & inualida matrimonia coràm Sacerdote, non Parocho Canonicè ingreſſo contracta vigore licentiæ ab eis conceſſæ: ac proindè A ſic contrahentes in concubinatu victuros. Idemquè de Parochijs, & alijs Beneficijs per eos collatis decernimus, & ordinamus. Et de licentijs concionandi, & de quocumquè alio actu, aut decreto per eos facto vel faciendo.

Vos interim dilecti Filij loci, & muneris veſtri memores, in creditam vobis curam diligentes incumbite, & hauſtam ab egregio Paſtore, & Patre veſtro diſciplinam Appamienſis Eccleſiæ bono, & aliarum incitamento conſtanter retinete dum nos impensè precamur eum, qui habitat in concilio iuſtorum, & congregatione, vt ſit in medio veſtrûm, & ſuâ præſenti ope vobis continenter adeſſe velit, quibus B Apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die 1. Ianuarij 1681. Pontific. noſtri Anno 5.

Marius Spinula.

His non obſtantibus, conuenientes Epiſcopi, Synodali decreto edicta adprobauere Regaliſtarum, & quatenus opus eſſet, diſciplinam relaxantes canonicam, tempori ceſſerunt, timore correpti; in Regnum iura ſua transferentes; quaſi Eccleſiarum domini & arbitri eſſent, non cuſtodes, vt eam in ſeruitutem C redigerent. Epiſtolam legem ſequentem.

Epiſtola Cleri Gallicani Pariſijs congregati ad SS. D. D. N. Innocentium Papam XI.

Beatiſſime Pater.

Quam conſecrandi fecimus Apoſtolicę ſedi canonicæ obedientiæ profeſſionem, ea nos impellit, vt quæ Pariſijs, iuſſu Regio congregati geſſimus, ad Apoſtolatum veſtrum referamus, grauesq. metus noſtros paternum in Concil. Mileuit. ad P. P. Innocent. ex S. Aug. ep. 92. ſinum effundamus. *Cum enim te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in Sede Apoſtolicà collocauit, D taliemq. noſtris temporibus præſtiterit, vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud venerationem tuam, quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt, tacuerimus; quàm ea poſſit Sanctitas veſtra vel faſtidiosè, vel negligenter accipere; non ambigimus, quin magnis periculis noſtris Paſtoralem diligentiam adhibere digneris.* Sanè B. P. à maioribus noſtris, ſanctis, grauibuſq. viris accepimus Regni & Sacerdotij tuta piaq. concordia res humanas niti; *dum vnum ab altero impugnatur, periclitari vtrumq.; eà occaſione & de regno tolli iuſtitiam, & de Eccleſia pacem, ſciſmata & ſcandala ſuſcitari, & fieri animarum perditionem ſimul & corporum; ſine horum concordiâ res humanas nec incolumes eſſe poſſe, nec tutas.* Hæc Goffridus Vindocinen. opuſcul. 4. Hæc Iuo Carnoten. *ep.* 60. SS. grauiſſimiq. Eccleſiæ Gallicanæ Præſules immortalibus ſcriptis teſtata reliquerunt. Hos in medium afferre, & ad V. S. allegare iuuat, quos pro Eccleſiaſticà libertate atq. Apoſtolica auctoritate multa perpeſſos S. V. deceſſores non tantum vt probabiles magiſtros ſed vt præcipuus ſingulareſq. filios ſemper habuerint. His accedat tertius Claræ vallis Abbas, non Gallicanę tantum, ſed vniuerſæ Eccleſię lumen S. Bernardus. Ille canonum propugnator ac fortiſſimę cuiuſq. ſententiæ grauiſſimus auctor, vbi nimio rigore regnum & Sacerdotium diuidi, atq. inconſutilem Chriſti tunicam ſcindi animaduertit, velle condeſcenſione temperari canones ſupplicauit, ac pacem vtriuſq. poteſtatis, quę vtramq. fulciat, retineri; præſertim in Galliâ, vbi *nullā vnquàm Regnum inter & Sacerdotium diuiſionem fuiſſe ep.* 219. antiquiores Epiſcopi gloriati erant: vbi deniq. ipſo teſte Bernardo, toto Orbe colliſo, ipſiſq. Pontificibus graui toties tempeſtate iactatis non modo nullę ſciſſuræ factę eſsent, *ſed etiam ſolerent ſciſſuræ aliæ reſarciri.* Nec minori ſtudio Apoſtolici Præſules V. S. anteceſſores eam concordiam commendarunt, cum geminâ poteſtate res humanas Regi ex ſacris literis accuratiſſimè tradidere: quarum proinde concordia publicam pa- Gelaſius P. P. ep. 8. ad Anaſtaſium Imperat. cem totiuſq. generis humani ſtatum contineri certiſſimum ſit, dicente Prophetà, Zachar. *Ecce vir oriens, nomen eius.* 6. Zorobabel in C perſona, in figurà Chriſtus certe populi Dei Dux, & Princeps; *Et ipſe extruet templum Domino, & ipſe portabit gloriam, & ſedebit & dominabitur ſuper ſolio ſuo, & erit ſacerdos ſuper ſolio ſuo, & conſilium pacis erit inter illos duos.* c. 2. et. 13. ſtet ergo vtrumq. ſolium, alterum Principis, alterū Sacerdotis: auxilio mutuo mutuà conſenſione munitum. Hinc populi ſalus, hinc non tantùm corporum, ſed etiam animarum lucra proueniant: hinc deniq. res humanæ ſtabili ac Deo pariter hominibuſq. placita tranquillitate decurrant. Quæ cum ex Patrum traditione ipſaq. adeo prophetica ac diuina auctoritate deſcenderint; vbi eam pacem noſtris temporibus occaſione Regaliæ ſollicitari vidimus, cœpimus cogitare quid Maiores noſtri, quid antiqui ſedis Apoſtolicæ Antiſtites præſcriberent? pro certo habituri quod verbo pariter & exemplo docuiſsent? Sic autem comperimus quæ Euangelica auctoritate, quæ æterna lege ſancita eſſent, manere inconcuſſa quæ Eccleſiaſticà prohibitione conſtarent, in his Eccleſiarum Principes multa pro tenore Ca-

nonum

nonum diſtrictiùs iudicaſse, multa pro temporum neceſſitate tolleraſse, vbi non periclitatur Fidei veritas aut morum honeſtas, quædam inſtituta temperari non ceca tamen & indiſcreta relaxatione diſciplinæ, ſed ſi adeſset neceſſitas, ex quà leges quoq. mutare contingeret, ſanctos enim Pontifices Præceſsores Veſtros præcepiſse. *Vbi neceſſitas non eſt, Sanctorum Patrum decreta, manere inconuertibilia. Bernard, c. 4. de præcept. & diſpēſ.* Eadem ergo decreta ex neceſſitate interdum temperanda: eam verò neceſſitatem eſse, ſi graues diſsenſſiones, ſi turbulenti A motus, tumultuſq. imminerent, *quam populorum ſtragem* S. Patres vocant: tunc enim charitate, quæ ſumma Eccleſiæ lex ſit, alias emolire ac temperare leges, ac *detrahendum aliquid Canonum ſeueritati, vt maioribus morbis ſanandis charitas ſincera ſubueniat. S. Aug. ep.* 50. Hinc nempè profectam à S. Patribus, ipſamq. Apoſtolicâ Sede celebratam moderationem Canonum, quæ vtili diſpenſatione, & prouida compenſatione librata Eccleſiam ædificet, propulſer diſſidia, regnum & ſacerdotium firmâ pace componat. Hæc ex S. Auguſtino aliiſq. Patribus, hæc ex S. Pontifice B Leone, Gelaſio, cæteriſq. maiores noſtri didicerunt, nobiſq. tradiderunt, *Saluo ſcilicet Fidei fundamento, & communi morum regulâ toleranda quadam, quadam & facienda, quæ infirma videantur. Hæc enim facit Charitas, quæ operit multitudinem peccatorum; quæ cum infirmantibus infirmatur, cum ſcandalizatis vritur, & omnibus omnia fit, vt omnibus prodeſſe mereatur. Iuo Carnot. ep.* 214. Quod ſi ius illud Regium, quam Regaliam dicimus, aut Fidei fundamentis, aut morum regulis eſset aduerſum non illud vtique Sancti Pontifices doctrinâ, & pietate conſpicui Alex. III, Innoc. III. atq. C alij comprobaſsent: non illud deniq. ſacrum generale Lugdunenſe Concilium tot perſonis, totq. ſub titulis, ſuâ auctoritate firmaſſet: at enim extendi vetuit ad eas Eccleſias, quæ primæuâ atq. innatâ libertate gauderent, ſed hanc interim vt quęſtionem omittamus, neq. minutatim verba Concilii, varioſq. ſenſus quæq. antegreſsa, quæq. conſecuta ſint expendamus; id ſane liquidò conſtat, nullum eſse periculum, vt extenſum Fidei, moribuſq. noceat, quod illæsâ Fide, ſaluaq. morum regula longè lateq. propagatum plurimas iam Regni Eccleſias occuparit: ex quo D illud efficitur, Regaliæ cauſam non ad *Fidei, morumq. regulam,* quæ *immobilis & irreformabilis ſit (Tertul. de Virg. vel.)* ſed ad diſciplinam, quę pro locis, ac temporibus ſubindè mutetur, quæq. temperamenta, ac ſalubrem illam moderationem admittat omninò pertinere. Iam ergo conſtituto quæſtionis ſtatu, B. P. quantum intelligimus rem totam expediri haud dificile fuerit, cum id vnum inquirendum reſtet; Iuſta nè cauſa fuerit, cur poſt Eccleſiarum quarumdam libertatem, totis ſexaginta annis ſtrenuè propugnatam, victi in eo tribunali, quod ipſi antiquo more Regni apellauimus, acquieſcere potiùs, quàm omnia commouere, Regiam poteſtatem cum Pontificali committere, noua denique bella ciere vellemus. Nos pacem anteponimus, nec in ſimili causâ piget imitari Vindocinenſem Abbatem *Opuſculo* 4. non minus fortitudinem quam prudentiâ clarum, cuius verbis dicimus: *Habeat Eccleſia ſuam libertatem, ſed ſummopere* A *caueat, nè dum nimis emunxerit, eliciat ſanguinem, & dum rubiginem de vaſe conatur tradere, vas ipſum frangatur.* Neq. verò publicam pacem, ac ſub tanto Rege proſperum rerum Eccleſiaſticarum curſum turbarum oportebat. Adhibe pias aures, *Sanctiſſime Pontifex,* & tantiſper cogita, quem Regem habeamus: non inuictam bello dexteram, ac decora victoriarum prædicaturi ſumus pacifici ſacerdotes. Habent illæ laudem ſuam vniuerſis Gentibus celebratam, ac pacis gloriam cumulatam. Vtinam *Beatiſſime Pater,* rebus noſtris intereſse, & coram intueri poſses (paternis B ſanè oculis dignum ſpectaculum) quàm benignè optimus Princeps Epiſcopos audiat, quàm rebus Eccleſiæ faueat, quàm bonos fulciat, quàm inuictâ auctoritate contumaces frangat quàm cæleſtem illam à Domino nobis traditam poteſtatem intemeratam velit. Eo protegente iuriſdictio Epiſcopalis promemodum profligata emergit e tenebris. Noſtris iam decretis, noſtræ auctoritati Parlamenta obſecundant ac Regia decreta Canonicæ diſciplinæ ancillantur. Iam verò Hæreſis quot accipit ſubindè ſalutares plagas? Quot edictis comprimitur? Quot amiſsa Templa luget? C Quantas nobilium, plebeiorumq. turbas ad Petri; hoc eſt Chriſti ouile reuocatas? Quid deindè referemus, vt Regius animus exoſas habeat nouitates omnes, nulloq. Regni loco conſiſtere patiatur? Eſt profectò *Ludouicus Magnus* alter ille Mauritius à S. Gregorio anteceſsore veſtro toties commendatus *lib. 7. ep. 48. cuius temporibus, Hæreticorum ora conticeſcunt; quia etſi eorum corda in inſaniam peruerſi ſenſus ebulliunt, Catholici tamen Principis tempore, praua quæ ſentiunt, eloqui non præſumunt.* Hæc coram admiramur, hæc luculentius Veſtra quoque Sanctitas ab altiſſimâ illâ, cui totus D Orbis ſubeſt, Petri ſede commemorat; his Apoſtolicum veſtrum pectus exultat; Si quid fortaſse tot inter proſpera emergit incomodi non omnia proinde ad iuris apices exigimus; magno enim Cyrillo Alexandrino Præſule docente (*ep. ad Gennadium*) didicimus, œconomia rerum plerumq. cogi nos etiam à stricto & conſeſso Eccleſiæ iure diſcedere. Quanti verò æſtimamus illa priuilegia aliquot Eccleſiarum, ſi emolumentis damna contendimus?

Quid

Quid quod illud onus vix Eccleſiæ ſentiunt ,
vacantium eccleſiarum fructibus, quos Re-
ges vindicare Fiſco in Eccleſiarum longè ma-
ximà parte non dubia conſuetudine poterant,
Succeſſori reſeruatis , rebuſq. ad Canonum
auctoritatem , Ludouici XIII. auguſtæ me-
moriæ Edicto redactis? Quid, quod in qui-
busdam præbendis, ac dignitatibus conferen-
dis, ſi quid erat aſperius, nobis ſupplicanti-
bus a Rege molitum, tanti Principis pieta-
tem, largitatemq. commendat? Quid quod
Capitulis ſua iura ſeruata, certiq. Iudicibus
præſcripti limites, ne Regaliæ nomine omnia
inuadantur? Id ſubiuncta his literis geſta te-
ſtantur, certoq. iudicio ſunt, quàm benè il-
li aliqua conceduntur, qui multa iam ibi poſ-
ſeſſione vindicata vltrò concedat.

Sed enim exprobabunt, qui votis ſuis omnia
metiuntur, leue illud quoque [ſic enim ſen-
tiunt] quòd rex Chriſtianiſſimus tanto ſtudio
aſſertum Coronę ſuę velit, nobis auctoribus,
ac flagitantibus potuiſſe dimitti: nam illi falſi
ſunt, rerumque noſtrarum imperitiſſimi. Li-
ceat verò nobis, Beatiſs. Pater, quando eo
in cardine totius negotii ſumma verſatur, pau-
lò liberius interturbare graues illas curas
Apoſtolicę mentis, ac ius Regaliæ Franco-
rum Regibus, totiq. Regno infixum, prout
noſtris hominibus inſitum, indictumq. eſt, ab
ortu repetere.

Sic nempe inclamant Regii Magiſtratus ,
Chriſtianiſſimos Reges iam inde à Clodouæo,
ac primis Chriſtianæ Religionis exordiis, Ec-
cleſiarum omnium, vt pietate filios, ita ef-
fuſiſſima liberalitate nutritos , & Regia de-
fenſione propemodum Patronos, ac tutores
extitiſſe: Ea verò quæ Eccleſiæ in fundis ha-
berent, teſte Auguſtino, iure Cæſareo, hoc
eſt Regio , obtineri , ſupremamq. eorum
omnium poteſtatem penes Reges eſſe: Hinc
à priſcis temporibus , vacantium Eccleſia-
rum Regia manu occupata bona, mox reddita
ſucceſſoribus: nec a Sede Apoſt. reprobata ,
quæ huic iori tuendo antiquiſſimis etiam tem-
poribus Reges Francorum feciſſent; Præben-
das quoque, hoc eſt natiuo ſenſu , ſtipendia
Clericorum, partem Eccleſiaſticæ poſſeſſio-
nis, ac prouentus, nec dum a toto deſertas,
ſi vacarent Eccleſiæ, eodem quoque iure a
Principibus collatas: quarum quippe col-
latio, & antiquo iure a ſolida maſſa decidi non
poſſet, & recentioribus quoque iuris Pontifi-
cij inſtitutis in fructu haberetur: Hæc omnia ab
antiquo Regibus de ſe bene meritiſſimis côceſ-
ſiſſe Eccleſiam, ſane conſenſiſſe iuſq. poteſtatis
conſenſione firmatum, Regiæ maieſtati pro-
prium, atq. côgenitum ita coaluiſſe; vt diſtrahi
nequeat. Neque verò fas eſſe, vt Eccleſiæ pri-
mis Francici Imperij temporibus diuerſo iure
haberentur, quas eadem Regia protectione
fulciri, eadem libertate ditari, eiuſq. maie-
ſtatis reuerentia, ac poteſtate contineri cer-
tum eſſet: Si quid ergo triſtioris diuerſitatis
exortum ſit, id eſſe referendum ad illa tem-
pora , queis ſciſſum Regni corpus , Du-
cumq., & Comitum olim innocuo, tunc in-
fauſto, nomine auulſa, ac diſcerpta membra
vix inter ſe cohęrerent: Hos enim Principes ,
Regalibus occupatis, ſæpè etiam ſine Regum
conſcientia relaxatis omnia perturbaſſe. At
poſtquam Regia poteſtas diſtractas Prouincias
ad ſeſe reuocauit, & afflictum diu, diſſipa-
tumq. Regnum ſuam demum integrè ſub vno
A capite nobiliſſimo pariter, ac valentiſſimo
ſanitatem intellexit: tunc obliterandam, quæ
laceros artus olim dehoneſtabat, foedam di-
uerſitatem, nec Regio iuri ex antiquiſſimis ,
receptiſq. Regni Francici legibus nocere po-
tuiſſe poſſeſſionem intermiſſam, quam & per
Principes ſibi ſubditos, diu retinuiſſent, nec
ipſi vnquam animò dimiſiſſent; vniuerſaſq.
Eccleſiæ, non tantum ad decorem, ſed etiam
ad robur, firmamq. compagem, eodem de-
niq. iure componendas: Neque verò obſtare
Lugdunenſe Concilium, quippe quòd nec
Reges nominet, ex Pontificijs quoque Decre-
B tis pro ſua maieſtare ſpecialiter appellandos :
nec de Præbendis loquatur, & aliò verti poſ-
ſit: neque a Pontificibus, Regibuſue in quæ-
ſtione Regaliæ, cum de ea maximè ageretur
memoratum, aut leuiter ſaltem indicatum
fuerit.

Hæc vtcumq. ſe habent [neque enim lubet
commemorare, quæ antecesſores noſtri re-
poſuerint, aut litigare eſt animus coram V.
Sanctitate pacis negotium tractaturis] hæc,
inquam, adeo, Regiis Magiſtratibus infixa
menti ſedent, vt a ſe auelli nulla ratione pa-
tiantur cauſaq. ceciderimus eorum quoque
C ſententia, qui & æquitatis laude florerent, &
in noſtrum ordinem eſſent propenſiſſimi; qua
conſenſione victus Rex Max. ſatiſq. conſcius ,
quàm ab inuadendis Eccleſiarum iuribus ab-
horreret , ius regium putat , quod in vni-
uerſum Regnum penè diffuſum ſuo velut curſu
vndique protendatur , rerum ſimilitudine ,
pariq. Eccleſiarum conditione, velut in pro-
cliue ductum. Quid hic nobis, Sanctiſſime
Pontifex, planè ſimpliciterq. dicemus; hęc
neque omnia vt certa proponimus, nec vt er-
ronea, & fidei Regulis aduerſa propulſamus
ac diſpenſationi prouide locum eſſe cenſemus,
D grauiſſimos ſcilicet Auctores ſecuti Apoſtoli-
cos viros Antecesſores veſtros.

Prodeat ſanè vir maximus, non minus in
ſacris litteris, quam in Canonum diſciplina
verſatus Innocentius Tertius, atq. in ſimili
cauſa, quid agendum ſit, doceat: de Rega-
libus agebatur; iure autem Regalium multa
contineri iam Eccleſiis Regum liberalitate re-
miſſa ſunt, certo certius eſt: Primum ius
procurationis ſiue hoſpitii , quo Epiſcopi
Ab-

Abbateſq. Regem domo excipere, totamq. cum ipſa curiam, publicaſq. perſonas alere certis temporibus; tum ius exercitus, quo certos milites ad Regium exercitum ducere, eoſq. alere deberent; & quidem occupari à Rege Eccleſiarum bona, non modò ſi illa vacaſſent, rerùm etiam ſi Epiſcopi conſueta, quæ vocabant ſeruitia, omiſiſſent; eaq. omnia ab eodem fonte Regalium exiſtere, eſt perſpicuum, & ipſe Innocentius profitetur. Duo ergo Epiſcopi à Rege accuſati, quòd illius iniuſſu milites abduxiſſent: eorum Regalia manu Regia confeſtim inuaduntur, A nulla iudicij forma; nec tantùm Regalia, ſed etiam alia bona quæcumq. poſſiderent: Id enim iuris Regii eſse, Rex contendebat; Epiſcopi id negare, tum factum excuſare, vim illatam conqueri, grauiſſimaſq. expoſtulationes defferre ad Innocentium. Quid ergo tantus Pontifex? Suſcepta, vt decebat Epiſcoporum cauſa, Philippum Auguſtum aggreditur, multa interminatus, multiſq. adhortatus, *ne inter Regnum & Sacerdotium ſcandalum oriretur*, intentato quoque Apoſtolicæ cenſuræ metu niſi Epiſcopis Regalia, aliaque omnia præter ius, faſque (ſic enim B ferebat) occupata relaxaret: grauis ſane cauſa, in qua Rex maximus *cenſura cohibendus* eſse videretur; Sed interim Innocentius ad Epiſcopos ſcribit: *Fraternitati veſtræ conſulimus bona fide, quatenus cum chariſſimo filio noſtro Rege quantò melius poteritis, componere ſtudeatis, quoniam arcus, qui ſemper tenſus eſt, vires amittit, nonnunquam Reges melius vincuntur manſuetudine, quàm rigore.* Præclarè ille quidem, vbi nullum fidei, nullum morum regulæ creatum periculum eſt. Sed particulare factum, inquient, nec in exemplum trahendum, & tamen agebatur, vti prædictum eſt, non C tantum de Epiſcoporum facto, ſed etiam de Regalium iure, quouſq. pateret, quæ bona complecteretur, qua forma exerceri poſset: Sed hæc omittamus. Quid Benedictus duodecimus, vnus omnium Pontifex, & conſtantiæ, & prudentiæ laude ornatiſſimus? Is Philippum Valeſium Regem edita Philippina multa Regaliæ iuri ab antiquo more diuerſa velut inſerentem, grauiſſimis monitis ab ea tutanda lege deterruit; Sed præclare functus officio a negotio deſtitit; neque enim omnia vrgenda Pontifici, nec exactè ſemper ad minutos quoſque apices res Eccleſiaſticas deducendas: D Philippinaq. ad noſtra vſq. tempora ſtetit incolumis.

Lib. 1. Epiſt. epiſtola 170.

Lib. 3. epiſt. 40.

Lib. 1. epiſt. 107.

Rayn. ad d. ad annum 1337. num. 17.

Sed ne veſtræ Sanct. moleſti ſimus, poſtremum commemoramus Bonifacium Octauum; nec tamen refricamus infauſta illa diſſidia, quæ nec ſine lacrymis legi queant; abeant illa in tenebras æterno ſilentio ſepelienda; Id de Bonifacio referre lubet, quod ad pacem conducat, quod dignitatem pariter, atq. clementiam ſummę ſedis deceat. Graue erat Bonifacio à Philippo Pulchro, pleno etiam iure conferri præbendas, ſeu Regaliæ, ſeu quouis alio titulo; nec tamen negabat Pontifex, imo profitebatur, *id fieri poſſe Eccleſiæ conſenſu tacito, vel expreſſo*: Rex interim ſe poſseſſione tuebatur; eo enim iure a ſe conferri præbendas, *quo à maioribus, & à Sancto Ludouico ano data eſſent*. Rectè ille, & ordine vt videtur; ſatis enim conſtabat, reclamante nemine, eo iure vſos; neque fraudi eſse poterat optimis Regibus, qui ad ius Regium ea reuocabant. Id enim ius Regium eſse, quod Coronæ Regiæ ab antiquo inſitum, coalitumq. ſit: atq. vt ex ſimili rem conficiamus, an non Patronatus, quos vocant Laicos, ipſis quoq. terris, atq. dominiis ex poſseſſione inhęrere, ac quaſi temporalis iuris loco eſse conſtat: cùm tamen id iuris ex Eccleſiaſticæ poteſtatis fonte profluere, nemo non fateatur: Quanto ampliora Regibus, & Beneficentia, & propria maieſtas conciliare potuit? Neque id Bonifacium iuris conſultiſſimum fugiebat; Sed cùm in ancipiti eſse videretur, quatenus iuri Regio Præbendas conferendi Eccleſię conſenſus acceſſiſset, quod dubium, quod illicitum reputabat Pontifex, de poteſtatis plenitudine concedebat, ac licitum faciebat: Quid enim [illegible], inquit: *Volumus, vt Rex faciat licitè, quod facit illicitè, volumus ſuper hoc ſibi facere gratiam omnem, quam poteremus.* Sic quem nodum ſoluere ex Pōtificis ſenſu, antiqua monumenta iuraq. non poterant, Apoſtolicę poteſtatis gladio amputabat: Atq. id Bonifacius Octauus tot inter ſimultates conferre vltrò voluit in Philippum Pulchrum. Quanta Innocentius Vndecimus beneuolentiſſimus, & propenſiſſimus in Ludouicum Magnum; Neque verò ambiguum, quid Orbis Chriſtianus expectet, ſi Pontifici Pontificem, Regem denique Regi componamus. Id tantùm poſtulamus, ne plus æquo audiantur, qui in iure Coronę nouas hęreſes fingunt, nimiſque intelligendo faciunt, nihil vt intelligant prępoſteri homines, qui quem exufflant puluerem, vt pręclarè Sanctus Auguſtinus, in ſuos, aliorumq. excutiunt oculos.

Hiſtoriæ diſſerentiæ de Bonifacio VIII. & de Philippo le Bel pag. 90. pag. 93.

pag. 78.

Veſtra verò Sanctitas hæc omnia ſupergreſſa, Chriſtianiq. Orbis intenta commodis, tantas contentiones ex tenui ortas; ſed in grauiſſima mala, niſi Deus auertat, aliquando erupturas, Apoſtolica Auctoritate componat. Pacem expetimus, pacem flagitamus, pacem, quæ veſtrum nomen tanta pietatis ac ſanctitatis laude omnibus gentibus, ipſiſq. adeo Eccleſiæ hoſtibus clarum venerandumq. immortalitati conſecratura ſit. Satis iam, ſuperque Parens optimus, deuotiſſimuſq. Filius repugnante animo altercantur. Nos quidem, Beatiſs. Pater, vt gratias agimus,

quas

quas poſſumus, maximas, quòd iura quarundam Eccleſiarum, quæ nobis omnibus comunia facit ipſa Fraternitas, ſarta, tectaq. eſſe vultis; ita noſtri cauſa concuti orbem, Pacemq. Chriſtianam conturbari nolumus. Quare eo quoque, quicquid inerat, iure deceſſimus: id in Regem optimum, atq. Beneficentiſſimum vltrò contulimus. *Et ſi fortè propter Canonum rigorem minus licebat, factum eſt tamen, quia Eccleſiaſtica paci ſic expediebat; cum enim plenitudo legis ſit charitas, in hoc legibus obtemperatum eſſe credimus, in quo charitatis opus impletam eſſe cognouimus.* (*Ivo Carnotens: epiſt: 190.*)

Quæ a nobis acta, ſi V. Sanctitas dignetur inſpicere, probaturam eſſe pro ſua æquitate confidimus: Sanè ſumma conſenſione, pronaq. omnium noſtrum voluntate geſta eſſe teſtamur; cum præſertim nemo ſit, qui rebus noſtris intellectis, ac perpenſis omnibus quæ recens nobis ſupplicantibus à Rege maximo ſtatuta ſunt, non vltrò fateatur plura & ampliora conceſſa; quàm dimiſſa, atq. Eccleſiæ cauſam Regia æquitate, ac liberalitate, meliore nunc omnino conditione eſſe. Quamobrem obſecramus, vt quæ a noſtra humilitate, non modo publicæ pacis intuitu, B ſed maximo Eccleſiæ emolumento geſta ſunt; quæq. Rex maximus, tanto Religionis ſtudio, tantaq. omnium noſtrum obteſtatione conceſſit, Regijs Magiſtratibus, ne quidquam reclamantibus, ſic V. Sanctitas, complectatur, vt Sacerdotij, Regniq. concordiam æternam firmet, & ſanciat.

Quid enim luctuoſius, quàm ſub tanto Pontifice, ac tanto Rege, quorum conſenſione tot in Eccleſià bona redundatura ſint, per inuiſa, & importuna diſſidia eludi expectationem Orbis, & publica commoda retardari? Sanè ex quo Eccleſia eſt, Sede Apoſtolica, C Regnoque Francorum nihil coniunctius fuiſſe, & maximo honori ducimus, & veſtri anteceſſores libentiſſimè prædicant: hanc verò perpetuam coniunctionem animorum noſtris quoque temporibus auctam oportuit, Quid enim videt Orbis MAGNO LVDOVICO malus? Quem Turcæ ſæuienti grauiorem hoſtem? Quam expeditiorem manum? quem animum promptiorem? quem idoneum magis, qui cum ea; quæ vos aſſiduè pulſant coercendi hoſtis, atq. amplificandæ Eccleſiæ communicare conſilia? Quem ad ardua quæq. iam ſpontè currentem incitare poſſitis? Ne verò D prohibeat V. Sanctitatem Eccleſiarum aliquarum haud tantis ſanè motibus digna libertas. Solet Eccleſia Chriſti quædam omittere, vt alia, eaque potiora ſeruet, multa quoque in melius ferendo commutare. Ipſa Regalia quantùm immutata eſt, cum pij Principes à potiundis fructibus iam abſtinuerint, & grauiſſima onera alendorum militum ac Procurationum ſpontè remiſerint, vt iam illi a nobis ſi neceſſe ſit, memorem animum ſuo quodam iure repoſcere videantur.

Quid atinet commemorare in Epiſcopis, atq. Abbatibus eligendis, in inueſtituris, in iuſſionibus, permiſſionibus Regiis; in Epiſcopatuum & Abbatiatum conceſſione, & dono in Hominijs quoque, & Sacramentis fidelitatis, quàm multa primum cenſuris grauiſſimis reprobata, mox vltrò conceſſa ſint? Ipſa Apoſtolica ſedes, arx Eccleſiaſticæ libertatis, quàm multa Principum in ſe ipſam quoque iura tolerauit, imo aliquando conceſſerit, A ipſa temporum mora excuſſa ceruicibus, & in optimum ſtatum ſponte reſtituta? An ergo Eccleſia *leuitate vſa eſt? Fuitq. in illa eſt & non?* (*2. Cor. 1. v. 17.*) Abſit, ſed ſatis ſibi conſcia æternitatis ſuæ, ipſique veritati ſemper immobili animo adhæreſcens, aliqua ſui parte humanis ſe rebus vtcunq. accomodat, nec tam temporibus, quàm animarum ſaluti ſeruit. *Hæc dicendo, doctam paternitatem veſtram non docemus, ſed eamdem conſulendo, & rogando monemus, vt ibi conſilij, & pietatis ſtudeatis viſceribus abundare, vbi fas non eſt, fortitudinem exercere.* (*Ivo Carnotenſ. epiſt. 190.*)

Quare Beatiſs. Pater, ad ſacros veſtros B pedes ritè prouoluti, atque Apoſtolicam Benedictionem expectantes, ſummum illum Eccleſiæ, veſtrique vnici Primatus Auctorem oramus, obſecramus, vti mentem veſtram ad pacis conſilia inflectat, & quæ pacis ſtudio exemplo maiorum, Sanctitas V. geſſerit; ea in veſtram gloriam, quam in Chriſto habetis, totique Eccleſiæ vtilitati vertat. *Datum Pariſijs tertio nonas menſis Februarij 1682.*

Obſequentiſſimi Filii, ac ſerui veſtri, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Eccleſiaſtici Viri in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani Pariſiis congregati.

C

Franciſcus, Archiepiſcopus Pariſienſis, Præſes.

De mandato Illuſtriſſimorum, & Reuerendiſſimorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, totiuſque coetus Eccleſiaſtici in Comitijs generalibus Cleri Gallicani Pariſijs congregati.

Maucroix, *Canonicus Remenſis a ſecretis.*

Coutelier, *Theologus Eccl. Pariſ. a ſecretis.*

Hiſce reſcripſit Innocentius.

D Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs Eccleſiaſticis in Comitijs Generalibus Cleri Gallicani Pariſiis congregatis.

PAternæ Charitati, qua Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ludouicum Regem Chriſtianiſſimum Eccleſias veſtras vos ipſos, & vniuerſum Regnum iſtud amplectimur, per moleſtum accedit, & planè acerbum cognoſcere ex veſtris literis die 3. Februarij ad

nos datis Epiſcopos, Clerumque Galliæ, qui Corona olim, & gaudium erant Apoſtolicæ Sedis, ita erga illam in preſēti ſe gerere, vt cogamur multis cum lacrymis vſurpare propheticum illud *Filij Matris meæ pugnauerunt aduerſum me*. Quanquam aduerſus vos ipſos potius pugnatis, dum vobis in ea cauſa reſiſtitis, in qua veſtrarum Eccleſiarum ſalus, & libertas agitur, & in qua nos prò Iuribus, & dignitate Epiſcopali in iſto Regno tuenda ab aliquibus ordinis veſtri pijs, & fortibus viris appellati abſque mora inſurreximus, & iampridem in gradu ſtamus, nullas priuatas noſtras rationes ſecuti, ſed debitæ Eccleſijs omnibus ſollicitudini, & intimo amori erga vos noſtro ſatisfacturi.

Nihil ſanè lætum, & veſtris nominibus dignum eas literas continere in ipſo earum limite intelleximus, nam præter ea quæ de norma in Comitiis conuocandis, peragendiſque ſeruata offerebantur, animaduertimus eas ordiri à metu veſtro, quo ſuaſore nunquam Sacerdotes Dei eſſe ſolent in ardua, & excelſa pro Religione, & Eccleſiaſtica libertate, vel aggrediendo fortes, vel perficiendo conſtantes; quem quidem metum falsò iudicauiſtis poſſe vos in ſinum noſtrum effundere; In ſinu enim noſtro hoſpitari perpetuo debet Charitas Chriſti, quæ foras mittit, & longè arcet à ſe timorem, qua charitate erga vos Regnumque Galliæ paternum cor noſtrum flagrare multis iam, ac magnis experimentis cognoſci potuit, quæ hic referre non eſt neceſſe. Si quid eſt autem, iu quo benemerita de vobis ſit charitas noſtra in primis putamus, hoc ipſum Regaliæ negotium, ex quo ſi ſeriò res perpendatur, omnis ordinis veſtri dignitas, atque authoritas pendet: Timuiſtis ergo vbi non erat timor. Id vnum vobis timendum erat, ne apud Deum, hominesque redargui iure poſsetis loco, atque honori veſtro, ac Paſtoralis Officio debito defuiſse. Memoria vobis repetenda erant, quæ antiqui illi Sanctiſſimi Præſules, quos quamplurimi poſtea qualibet ætate ſunt imitati, Epiſtolis Conſtantiæ, & fortitudinis exempla in huiuſmodi caſibus ad veſtram eruditionem ediderunt. Intuendæ Imagines Prædeceſsorum veſtrorum non ſolum Patrum, ſed qui noſtra quoque memoria floruerunt, & qui Iuonis Carnotenſis dicta laudatis, debuiſtis facta etiam, cum res poſceret, imitari. Noſtis quæ ille fecerit, paſsuſque ſit in turbulenta illa, & periculoſa contentione inter Vrbanum Pontificem, & Philippum Regem, muneris ſui eſse arbitratus contra Regiam indignationem ſtare, bonis ſpoliari, Carceres, & exilia perferre. Deſerentibus aliis cauſam meliorem, officij veſtri erat Sedis Apoſtolicæ authoritati ſtudia veſtra adiungere, & paſtorali pectore, humilitate Sacerdotali cauſam Eccleſiarum veſtrarum apud Regem agere, eius conſcientiam de tota re inſtruendo, etiam cum periculo Regium in vos animum irritandi, vt poſsetis in poſterum ſine rubore in quotidiana pſalmodia Deum alloquentes Dauidica verba proferre *loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu Regum, & non confundebar*. Quanto magis id vobis faciundum fuit, iam perſpecta, & exploratа optimi Principis Iuſtitia, & pietate, quam ſingulari benignitate Epiſcopos audire, Eccleſiaſticis fauere, & Epiſcopalem poteſtatem intemeratam velle, vos ipſi ſcri-
A bitis, & nos magna cum voluptate legimus in veſtris literis: Non dubitamus, ſi ſtetiſſetis ante Regem prò cauſæ tam iuſtæ defenſione, neque defutura vobis verba, quæ loqueremini, neque Regi Cor docile, quo veſtris annueret poſtulatis. Hunc cum muneris veſtri, & Regiæ æquitatis quodam modo obliti in tanti momenti negotio ſilentium tenueritis, non videmus, quo probabili fundamento ſignificatis, vos ad ita agendum adductos, quod in controuerſia victi ſitis, quod cauſa cecideritis. Quomodo cecidit, qui non ſtetit quomodo victus eſt, qui non
B pugnauit? & quis verbum tam graue, tam iuſtam cauſam, tam ſacroſanctam orauit apud Regem; cum tamen prędeceſsores veſtri eam in ſimili periculo conſtitutam non ſemel apud ſuperiores Galliæ Reges, imò apud hunc ipſum libera voce defenderint. Victoreſque à Regio conſpectu receſserint, relatis etiam ab æquiſſimo Rege præmiis Paſtoralis Officij ſtrenuè impleti? Quis veſtrum in arenam deſcendit, vt opponeret murum pro Domo Iſrael? Quis auſus eſt inuidiæ ſe offerre? Quis vel vocem vnam emiſit memorem priſtinæ libertatis? Clamarunt interim, ſicut ſcribitis
C & quidem in mala cauſa prò Regio iure, clamarunt Regis adminiſtri; cum vos in optima pro Chriſti honore ſileretis, neque illa ſolidiora, quod reddituri nobis rationem, ſeù verius excuſationem illaturi rerum in huiuſmodi Comitiis per vos actarum exagerratis periculum, ne Sacerdotium, & Imperium inter ſe collidantur, & mala, quæ exide in Eccleſiam, & in Rempublicam conſequi poſsent; proinde exiſtimaſse Vos ad officium veſtrum pertinere aliquam inire rationem tollendi de medio gliſcentis diſſidii, nullam verè commodiorem apparuiſse remedio ab
D Eccleſiæ Patribus iudicato vtili condeſcenſione Canones temperandi prò temporum neceſſitate, vbi neque fidei veritas, neque morum honeſtas periclitentur. Deberi ab Ordine veſtro, deberi à Gallicana, imò ab vniuerſa Eccleſia plurimum regi, tàm præclarè de Catholica Religione merito, & indies magis mereri cupienti propterea vos iure veſtro decedentes, illud in Regem contuliſse. Omittimus hic connumerare quæ ſignificatis de ap-

pellato

pellato à vobis ſæculari Magiſtratu, à quo victi diſceſſeritis. Cupimus enim eius facti memoriam aboleri, & volumus ea verba è literis veſtris expungere, ne in actis Cleri Gallicani reſideant ad dedecus veſtri nominis ſempiternum, quæ de Innocentio III. Benedicto XII. Bonifacio VIII. in veſtram defenſionem adducitis, non defuere, qui doctis lucubrationibus oſtenderint, quæ friuola, atque extranea ſint huic cauſæ, & magis notum eſt, quàm vt opus ſit commemorare, quo zelo, qua Conſtantia, eximij illi Pontifices Eccleſiæ libertatem defenderint aduerſus ſæculares A Poteſtates. Tantum abeſt, vt eorum exempla poſſint honori veſtro ſuffragari.

Cæterum vltrò admittimus, & laudamus Conſilium relaxandi Canonum diſciplinam prò temporum neceſſitate, vbi fieri id poſſit ſine fidei, & morum diſpendio; Imo addimus cum Auguſtino toleranda aliqua prò bono vnitatis, quę pro bono æquitatis odio habenda ſunt, neque eradicanda zizania, vbi periculum ſit, ne ſimul etiam triticum eradicetur. Id ita tamen accipi oportet, vt in aliquo tantum peculiari caſu, & ad tempus, & vbi neceſſitas vrget, licitum ſit. Sicuti factum eſt ab B Eccleſia, cum Arianos, & Donatiſtas Epiſcopos eiurato errore ſuis Eccleſijs reſtituit, vt populos, qui ſecuti eos fuerant, in officio continerent. Aliud eſt, vbi diſciplina Eccleſię per vnicum ampliſſimi Regni ambitum ſine temporis termino, & cum manifeſto periculo, ne exemplum latius maneat, labefactetur, imo euertitur ipſius Regaliæ diſciplinæ, & Hierarchiæ Eccleſiaſticę fundamentū ſicuti euenire neceſſe eſſet, ſi quæ a Rege Chriſtianiſſimo in negotio Regaliæ nuper acta ſunt, conniuentibus, imo etiam conſentientibus vobis contra ſacrorum Canonum & præſertim Ge- C neralis Concilii Lugdunenſis authoritatem, contra notam iampridem vobis in ea re mentem noſtram, & contra Iusiurandi Religionem qua vos Deo, Romanæ, veſtriſque Eccleſiis obligatis cum Epiſcopali caractere imbueremini. Hęc ſancta ſedes executioni mandari, & malum inualeſcere, diutius differendo permitteret, ac non ea pro noſtra ita diuinitus humilitati noſtrę ſuprema in vniuerſam Eccleſiam poteſtate ſolemni more prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes improbaremus cum preſertim per abuſum Regaliæ, non ſolum euerti diſciplinam Eccleſię res ipſa doceat D ſed etiam fidei ipſius integritatem in diſcrimen vocari facilè intelligatur ex ipſis Regiorum decretorum verbis, quę ius conferendi Beneficia Regi vindicant, non tanquàm profluens ex aliqua Eccleſię conceſſione; ſed tanquam ingenitum, & coœuum Regię Coronę. Illam verò partem literarum veſtrarum non ſine animi horrore legere potuimus, in qua dicitis, vos iure veſtro decedentes illud in Regem contuliſse; quaſi Eccleſię, quę curę veſtrę creditę fuere, eſsetis arbitri, non cuſtodes, & quaſi Eccleſię ipſius, & ſpiritualia earum iura poſsent ſub poteſtatis ſęcularis iugū mitti ab Epiſcopis, qui ſe pro earū libertate in ſeruitutem dare deberent. Vos ſanè ipſi hanc veritatem agnouiſtis, & confeſſi eſtis, dum alibi pronunciaſtis. Dux Regalię ſeruitutem quamdam eſse, quę in eo pręſertim, quod ſpectat ad Beneficiorum collarionem imponi non poteſt, niſi Eccleſia concedente vel ſaltem conſentiente. Quo iure vos ergo ius illud in Regem contuliſtis? Cumque ſac. Canones diſtrahi vetant iura Eccleſiarum, quomodo ea vos in animum diſtrahere induxiſtis, quaſi eorumdem Canonum authoritati derogare liceat vobis? reuocate in memoriam, quę inclytus ille conneceſſarius veſter Clarauallenſis Abbas, non Gallicanę modo, ſed etiam vniuerſalis Eccleſię lumen à vobis meritò nuncupatum Eugenium Pontificem Officii ſui admonens reliquit ſcripta pręclara, meminiſset ſe eſse, cui claues traditę, cui oues traditę ſunt; eſse quidem, & alios Cęli Ianitores, & Gregum Paſtores, ſed cum habeant illi aſſignatos Greges, ſinguli ſingulorum, ipſi vniuerſos creditos, vni vnam. Nemo do ouium ſed & Paſtorum Eugenium eſse Paſtorem, in eoque iuxta Canonum ſtatuta alios Epiſcopos vocatos fuiſſe in partem ſollicitudinis; ipſum in plenitudinem poteſtatis. E quibus verbis, quantum vos admoneri par eſt de obſequio, & obedientia, quam debetis huic ſanctæ Sedi, cui nos Deo, Authore, quanquam immeriti præſidemus, tandundem Paſtoralis magna ſollicitudo excitatur ad prouidendum tandem aliquando in hoc negotio, quam nimia fortaſſe longaminitas noſtra dum penitentiæ ſpatium damus, hactenus diſtulit Apoſtolici muneris excutionem. Quam ob rem per preſentes literas tradita nobis ab Omnipotēte Deo authoritate improbamus, reſcindimus, & caſſamus, quæ in his veſtris Comitiis acta ſunt in negotio Regaliæ cum omnibus inde ſecutis, & quæ in poſterum attentari contigerit, eaque perpetuo irrita, & inania declaramus, quamuis cum ſint ipſa per ſe manifeſta nulla caſſatione, aut declaratione huiuſmodi non egerent; ſperamus vos quoque ipſos re melius conſiderata, celeri retractatione conſulturos conſcientiæ veſtræ, & Cleri Gallicani exiſtimationi; ex quo Clero, ſicuti huc uſque non defuere, ita in poſterùm non defuturos confidimus, qui boni Paſtoris exemplo libenter animam ponere parati ſint prò ouibus ſuis, & pro Teſtamento Patrum ſuorum, nos quidem pro officii noſtri debito parati ſumus, Dei adiutrice gratia ſacrificare ſacrificium Iuſtitiæ, & Eccleſiæ Dei iura, & libertatem, atque huius ſanctæ Sedis authoritatem, dignitatemque defendere, nil de nobis, ſed

omnia de eo præſumentes, qui nos confortat, & operatur in nobis, & qui iuſſit Petrum ſuper aquas ad ſe venire; Preterit enim figura huiuſmundi, & dies Domini appropinquat, ſic ergo agamus venerabiles fratres, vt cum ſummus Pater familias, & Princeps Paſtorum rationem ponere voluerit cum ſeruis ſuis, ſanguinem peſſundatæ, & laceratę Eccleſiæ, quam ſuo acquiſiuit ſanguine, de veſtris manibus non requirat. Vobis interim omnibus Apoſtolicam benedictionem, cui Cœleſtem accedere optamus, paterno intimo amoris affectu impartimur. Datum Romæ die 11. Aprilis 1682.

Ex his cum aduerterent Regaliſtæ, cenſuras præ foribus imminerè, 19. Martij 1682. iterum ſub Regis mandato conuenere Pariſijs, & quę Anno 1662, occaſione grauis diſſidij inter oratorem Regis Chriſtianiſſimi, & D. Marium Chiſium Romanæ Vrbis Præfectum: ac ſubinde inter huius fratrem Alex. VII. Papam, & Regem ipſum Ludouicum XIV. Facultas decreuit Theologica Pariſienſis; licet paulò poſt rebus compoſitis ſilentio ſuppreſſa, veluti non a conſilio, aut eiuſdem Accademiæ maturà conſultatione prolata; ſed ſubita quadam animi commotione ob iniuriam Oratori Regio irrogatā a fratre Alexādri VII quaſi auctoritas Sedis Apoſtolicæ puniendą eſſet ob crimen Chiſij; Anno fluente, occaſione alterius diſſenſionis inter SS. Innocent. XI. & eundem Chriſtianiſſimum Regem Ludouicum XIV. non ſolum eadem Accademia inſtaurauit, ſed luculentiùs confirmare perrexit, interuenientibus & ſubſcribentibus Epiſcopis, Archiepiſcopis numero triginta quatuor, cum alijs 38. è Clero Gallicano. Huic declarationi adiuncta eſt ſanctio Pragmatica, vt eæ propoſitiones in vniuersà ditione, Prouincijs, & Accademijs Regnorum ſuorum defendantur; neq. quiſquam gradum aliquem literarium in Theologià aut iure Canonico accipiat, niſi priùs earum defenſione intata. Hoc agere proteſtabantur, nè Eccleſiæ Gallicanæ (vt aſſerebant) decreta, & libertates à maioribus ſuis magno ſtudio propugnatæ, earumq. fundamenta ſacris Canonibus, & Patrum traditione nixa diruerentur: cum nè Romani Pontificis Primatus & Maieſtas imminueretur; ac deniq. nè ſimplices animæ ab Eccleſię matricis, Chriſtiq. communione diſſociarentur; Eccleſias Gallicanas, earumq. Epiſcopos certiores facere decreuerunt veritatis, quam ipſi ſinodicè congregati, quatuor propoſitionibus declarandam aſſumpſerant.

1. *Reges & Principes in temporalibus; nulli Eccleſiaſticæ poteſtati, Dei ordinatione ſubyci, neq. auctoritate clauium directè, vel indirectà deponi, aut illorum ſubditos eximi à fide, atq. obedientià, ac præſtito fidelitatis ſacramento abſolui poſſe.*

2. *Valere atq. immota conſiſtere ſynodi Conſtantienſis decreta de auctoritate Conciliorum Generalium, quæ ſeſſ. 4. & 5. continentur nec probari à Gallicanà Eccleſià, qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint auctoritatis, ac minùs approbata robur infringant, aut ad ſolum ſciſmatis tempus Concilij dicta detorquent.*

3. *Apoſtolicæ poteſtatis vſum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reuerentià conſecratos: valère etiam regulas, mores, & inſtituta à Regno, & Eccleſià Gallicanà recepta.*

4. *In Fidei quæſtionibus, Summi Pontificis irre-* A *fragabile non eſſe iudicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.*

Ex hac fabulà rediuiuà licet ab antiquioribus proſcriptà & ſepultà commotus Pontifex Sanctus, dum fulmina cogitaret atquè anathemata, bello impeditus Turcarum (qui inſperata barbarorum multitudine, poſt Viennam, Romæ meditabantur expugnationem: Gallo eodem tempore ad Rhenum cum exercitu quadraginta millium incubante; vt Cæſar vndiq. cinctus vel Turcas, vel Gallos effugere non valeret; niſi Deus ab alto deſcendiſſet auxiliator,) diſtulit, vt priùs B Chriſtianum Gregem ab hoſte liberaret externo, donec bello ſemper ſæuiente, ipſe autem morte præuentus, onus ſucceſſori reliquit Alexandro, qui non longè ab electione ſuà, ad radicem cum falcem appoſuiſſet, inanibus deceptus promiſſis eorum, qui omnium retractationem promittebant, quæ ab Epiſcopis Gallicanis edita fuerant, executionem diſtulit, & publicationem ſuſpendit decreti ſui: donec arte cognita, & mortem ſibi agnoſcens imminere, ſequentia publicari mandauit.

C

Alexander Papa VIII.

Ad perpetuam rei memoriam. Inter multiplices Paſtoralis Officij noſtrę curas, quibus iugiter premimur in illam peculiari ſtudio incumbimus, vt Apoſtolicæ Sedis, ac vniuerſalis Eccleſiæ, nec non etiam ſingularum Eccleſiarum, locorumque piorum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum Iura vbique ſarta, tecta, ac illibata tueri, & conſeruare, eaque aduerſus quæcumque, per quæ illis aliquid detrimenti inferri poſſet tradita nobis diuinitus poteſtate vindicare ſatagamus, ſicut omnibus maturè, ac debitè penſatis, Iuſtitiæ, ac rationi conſentaneum eſſe D *arbitramur in Domino. Cum itaque ex quo primùm humilitatem noſtram inſcrutabili diuinæ ſuæ prouidentię arcano in ſuprema militantis Eccleſię ſpecula collocauit Altiſſimus, præ cęteris, quæ Pontificiæ noſtrę ſollicitudini ſe ſe obtulere negotijs illa in primis grauiſſima, ac nobis, qui Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ludouicum Francorum Regem Chriſtianiſſimum, ac Florentiſſimum illius Regnum in Viſceribus gerimus charitatis permoleſta, & planè acerba acciderint, quæ ſinè aduerſus*

dictis

Digitized by Google

dicti Regni Eccleſiarum Iura, ſiuè aduerſus Romani Pontificis, & Eccleſiæ vniuerſæ auctoritatem nonnulli Venerabiles fratres Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alij eiuſdem Regni Eccleſiaſtici Viri in Comitijs Cleri Gallicani Pariſijs anno 1682. congregati, tùm præſertim ſibi per eos extenſioni illius Iuris, quod vocãt Regaliæ ad omnes dicti Regni Eccleſias aſſerta tam adita ſubindè de Poteſtate Eccleſiaſtica quatuor propoſitiones continente declaratione peregerunt, quæque ipſa Comitia ſubſecuta fuerunt mandata, arreſta, confirmationes, declarationes, Epiſtolæ, edicta & Decreta quæcumque à quibuſuis perſonis ſiue Eccleſiaſticis, ſiuè Laicis quauis auctoritate, & poteſtate fungentibus edita, ſeù publicata, nec non quæ alias demùm nonnullis abhinc annis in Regno prædicto eidem Sedi Apoſtolicæ, Romanæque Eccleſiæ, ſeù quibuſcumque alijs Eccleſijs, Monaſterijs, & Locis pijs, illorumque reſpectiuè perſonis, rebus, bonis, & Iuribus, ſeù aliàs Iuriſdictioni, vel Immunitati, aut libertati Eccleſiaſticæ quomodolibet præiudicialia quouis modo peracta & geſta fuerunt. Hæc nos, qui Iurium Eccleſiaſticorum aſſertores in Terris à Domino conſtituti ſumus, dies, noctesque in amaritudine Animæ noſtræ cogitantes, manus noſtras cum lacrymis, & ſuſpirijs leuauimus ad Dominum, eumque toto cordis affectu rogauimus, ut nobis potentis gratiæ ſuæ auxilio adeſſet, quo ardua hac in re commiſſi nobis Apoſtolici muneris partes ſalubriter exequi valeremus, eaque conſideratione adducti, ac ne ſupremo Iudici rationem villicationis noſtræ reddituri negligentia in credita nobis adminiſtratione argueremur (quantum diuina bonitas dedit) nihil hùc vſque prætermiſimus, quo præiudicialia prædicta ab yſmet, qui ea peregerant ex animo retractarentur; Verùm quo efficacius, ac vberius Sedis prædictæ Eccleſiæ Vniuerſæ, Iuriſdictioniſque, & Immunitatis, ac libertatis Eccleſiaſticæ, Eccleſiarumque Monaſteriorum; & Locorum piorum huiuſmodi, illorumque perſonarum prædictarum indemnitati perpetuis futuris temporibus conſultum ſit; auditis quamplurimum ex Vener. fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, & nonnullorum in ſacra Theologia magiſtrorum, ac etiam in decretis doctorũ ad examẽ negotij huiuſmodi à nobis ſpecialiter electorum, qui illud maturè diſcuſſerant, remque totam nobis exboſuerant, ſententijs quantum nobis ex alto conceditur prouidere volentes, ac fel. rec. Innocentij Papæ XI. prædeceſſoris noſtri, qui occaſione reſcribendi ad litteras, quibus Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alij Eccleſiaſtici viri ſupradicti de rebus ipſis geſtis eo tempore eum reddiderant per quaſdã ſuas in ſimili forma breuis die XI. Aprilis 1682. expeditas litteras improbauit, reſcidit, & caſſauit, quæ in dictis Comitijs acta fuerant in negotio Regaliæ cum omnibus indè ſecutis, & ſubindè attentari contigiſſet, eaque perpetuò irrita, & inania declarauit, eius veſtigijs inhærentes, nec non in dictis Comitijs 1682. tam circa extenſionem Iuris Regaliæ, quam circa declarationem de poteſtate Eccleſiaſtica huiuſmodi actorum ac etiam omnium, & ſingulorum mandatorum, arreſtorum, confirmationum, declarationem, Epiſtolarum, Ædictorum, Decretorum quauis auctoritate, ſiue Eccleſiaſtica ſiue etiam Laicali editorum, ſeù publicatorum, nec non aliorum quorumlibet præiudicialium in Regno ſupradicto, quandocumque, & à quibuſuis, & ex quacumque cauſa, & quouis modo factorum, & geſtorum, ac indè ſecutorum quorumcumque, ac etiam ſpecificam, & indiuiduam mentionem, & expreſſionem de neceſſitate requirentium tenores, & datas etiam veriores præſentibus proplanè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, ac exactiſſimè ſpeci-

A ficatis habentes motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtra deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnia, & ſingula, quæ tam quoad extenſionem Iuris Regaliæ, quam quoad declarationem de poteſtat. Eccleſiaſtica, ac quatuor in ea contentas propoſitiones in ſupradictis Comitiis Cleri Gallicani anno 1682. habitis acta, & geſta fuerunt cum omnibus, & ſingulis mandatis, arreſtis, confirmationibus, declarationibus, Epiſtolis, Edictis, Decretis à quibuſuis Perſonis, ſiuè Eccleſiaſticis, ſiuè Laicis quomodolibet qualificatis, quauis auctoritate, & poteſtate, etiam indiuiduam expreſſionem requirente, fungentibus aditis ſiuè

B publicatis, nec non reliqua omnia quotcumque, & qualiacumque eidem Sedi Apoſtolicæ, Romanæque Eccleſiæ, vel Iuriſdictioni, Immunitati vel libertati Eccleſiaſticæ ſeù alias Eccleſiis, Monaſteriis, & Locis piis præfatis, Illorumque reſpectiuè perſonis, rebus, bonis, priuilegiis, prærogatiuis, & iuribus quibuſcumque quomodolibet præiudicialia in dicto Regno peracta, & geſta cum omnibus, & ſingulis, quandocumque, & quomodocumq. indè ſecutis; & quæcumque tempore ſecuturis ipſo iure nulla, irrita, inualida, inania, viribuſque, & effectu penitùs, & omnino vacua ab ipſo initio fuiſſe, & eſſe, ac perpetuò fore, neminemque ad

C illorum, ſeù cuiuſlibet eorum etiamſi iuramento vallata ſint obſeruantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod ius, vel actionem, aut titulum, etiam coloratum, vel poſſidendi, aut præſcribendi cauſam, etiamſi longiſſimi, & immemorabilis temporis poſſeſſio, etiam citra vllam interpellationem, vel interruptionem ſubſecuta ſit, vel ſubſequatur acquiſitum fuiſſe, nec eſſe, minuſque vllo tempore acquiri, & competere poſſe, neque illa vllum ſtatum facere, vel feciſſe; ſed perindè, ac ſi nunquam emanaſſent, vel facta fuiſſent pro non extantibus & non factis perpetuò haberi debere tenore præſentium declaramus, & decernimus. Et

D nihilominus ad abundantiorem cautelam, & quatenus opus ſit, acta, & geſta præfata aliaque præmiſſa omnia motu, ſcientia, delibe atione & poteſtatis plenitudine paribus improbamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, & contra illa, deque eorum nullitate coram Deo proteſtamur. Decernentes eaſdem præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quod quicumque in præmiſſis intereſſe habentes, etiam ſpecifica, & indiuidua

men-

mentione digni illis non conſenſerint nec ad ea vocati, citati, & auditi, neq. cauſæ, propter quas eædem præſentes emanauerint ſufficienter adductæ, verificatæ, aut vllo modo iuſtificatæ fuerint, aut alia ex alia quacumque cauſa, colore, prætexta, & capite etiam in Corpore Iuris clauſo nunquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis aut nullitatis, vel inualiditatis vitio, ſeù intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium, vel habere prætendentium conſenſus, aliove etiam quantumlibet magno, & incogitato, inexcogitabilique defectu, aut ex alio quouis capite à Iure, vel facto, aut ſtatuto, conſuetudine, vel priuilegio reſultante notari, impugnari, inualidari, retractari, in controuerſiam vocari, ſeù ad terminos Iuris reduci vllatenus poſſe, ſed ipſas præſentes litteras ſemper, & perpetuò firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit inuiolabiliter obſeruari: Sicque, & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Sedis Apoſtolicæ Nuncios, aliòſque quoſlibet, quacumque præeminentia poteſtate fungentes, & functuros ſublata, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate vbique iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, & Vniuerſalibus. Prouincialibuſque, & Synodalibus Concilijs generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, & quatenus opus ſit noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de Iure quæſito non tollendo, legibus quoque etiam Imperialibus, & municipalibus, nec non quibuſuis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, Priuilegijs quoque Indultis, conceſſionibus, & litteris Apoſtolicis quibuſcumque locis, & perſonis, etiam regalis, & quauis ſiuè Eccleſiaſtica, ſiuè Mundana Dignitate fungentibus, & alias quomodolibet qualificatis, aut ſpecialem expreſſionem requirentibus, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, etiam irritantibus, & alijs decretis etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac Conſiſtorialibus ac alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeù quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exqui-

ſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenoris huiuſmodi præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ſeruatis, & inſertis, habentes illis aliàs in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque; Volumus autem, & earumdem præſentium litterarum tranſumptis, ſeù exemplis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis eadem prorſus fides vbique locorum, & gentium in Iudicio, & extra illud habeatur, quæ ha-
A *beretur ipſis præſentibus ſi forent exibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die 4. Auguſti 1690. Pontificatus noſtri anno primo,*

I.F. Cardinalis Albanus

Publicatum fuit præſens Breue die 30. Ianuarij 1691.

In nomine Domini amen. Præſenti publico Inſtrumento cunctis vbiquè pateat euidenter, & ſit notum quod Anno a Natiuitate D.N.I.C. milleſimo ſexenteſimo nonageſimo primo Indictione decima
B *quarta, die verò trigeſima menſis Ianuarij, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D.N.D. Alexandri Diuina Prouidentia Papæ Octaui anno ſecundo. Coram eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro præſentibus, beneque audientibus, & intelligentibus, Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis D.D. S.R.E. Cardinalibus Chiſio, de Alteriis, Carpineo, Columna, Nerlio, Caſanate, Mareſcotto, Capizucco. De Laurea, Panciatico Aſtallio, & Albano ad id ſpecialiter iuſſu Sanctitatis ſuæ conuocatis, & congregatis in noſtrorum infraſcriptorum eiuſdem Sanctitatis ſuæ, & Sedis Apoſtolicæ Protonotariorum de numero Participantium,*
C *Teſtiumque infrapoſitorum præſentia, Eminentiſſimus, & Reuerendiſſimus D. Cardinalis Albanus Breuium ſecretorum Sanctitatis ſuæ Secretarius, alta, & intelligibili voce per extenſum, ac de verbo ad verbum, prout iacet, legit, & publicauit mandato eodem Sanctiſſimo D.N. retroſcripto Breui. Poſt cuius lecturam idem Sanctiſſimus D.N. dixit & declarauit, ſe vſque, & ſub die 4. Auguſti proximè ſubſignaſſe minutam originalem dicti Breuis, eiuſque publicationem hodierna die, vt ſupra fieri mandauit, ſuper quibus omnibus, & ſingulis in continenti ab eodem Eminentiſſimo D. Cardinali Albano nomine Sanctitatis ſuæ nobis fuit iniunctum*
D *vt vnum, ſeu plura, publicum, ſeu publica conficeremus atque traderemus Inſtrumentum, & Inſtrumenta prout opus fuerit, & requiſiti erimus. Non ſolum præmiſſo, ſed & omni meliori modo, Actum Romæ in Palatio Apoſtolico Quirinali in Cubiculo Sanctitatis ſuæ, præſentibus ibidem Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis D.D. Petro Dragho, & Bartolo Patriarca Alexandrino Præfecto Cubiculi eiuſdem Sanctitatis Suæ, & Marcello de Aſte vtriuſque ſignaturæ Referendario ipſius Sanctiſſimi D. Noſtri*

Audi-

Auditore Teſtibus ad præmiſſa noſtra, & ſingulis vocatis, habitis ſpecialiter, atq. rogatis.

Ego Camillus Celleſius Protonotarius Apoſtolicus de numero Participantium de præmiſſis rogatus præſens inſtrumentum ſubſcripſi, & publicaui. In fidem.

Ego Proſper Coſtagutus Protonotarius Apoſtolicus de numero Participantium de præmiſſis rogatus præſens Inſtrumentum ſubſcripſi, & publicaui in fidem &c.

Ommiſſis alijs formalitatibus.

22. *Proſcriptâ funeris pompâ*, quam in obitu Romanorum Pontificum penè laſciuientes excitabant Cardinalis quæſtor cum Cameralibus, vt erga agnatos defuncti Pontificis benèmererent, non ſuis tamen ſed Eccleſiæ theſauris; quibus homines eſſe ſolent liberales; prohibuit Alexander vltra tria millia Coronatorum expendi, ſciagraphià ſui funeris impoſità, nè funus celebraretur ad laſciuiam, ſed ad pietatem.

23. *Obijt* die primà Februarij inter horam 22. & 23. An. 1691. cum decem & nouem dies ægrotaſſet, benedicta familia, & Cardinalibus, quorum plures dietim eum inuiſebant. Pane Euchariſtico repetitis vicibus refici voluit; ſeruum inutilem ſe accuſans coram Deo & homine, indignumq. Eccleſiæ regiminis. Geminabat accuſationem vulgariter, & Latinè Pſalmos Dauidis intermiſcendo, & verba Chriſti *Lucæ 17. Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus*. In die obitus, primà Februarii, priuſquam nox recederet, cum de horà interrogaſſet; reſpondentibus miniſtris; declinare tenebras, primà iam ineunte Februarii; repoſuit. *Celebrem hodiè veneramur martyrem Ignatium: cras B. Virginis præſentationem celebrabimus, ſacrà ſynoxi*. Morbo ingruente, legē Medicorū vſq. ad vltimum ſubijt patienter, gratias agens Deo O. M. à quo æque conſtans expectabat vitam & mortem, morbum & medicinam. Orto ſole adfuere Purpurati cum familia, quæ vſque ad horam 22. cum pſalmis, lacrymis, & orationibus morienti profuit & inuocanti nomen V. Deiparæ. In eius funere Abbas perorauit Sergardus. Sepultus iacet in Baſilicà S. Petri propè ſacellum S. Sebaſtiani, cum inſcriptione ſequenti.

D. O. M.

Alex. VIII. Pontifex
antea
Petrus Otthobonus Venetus.
Obiit die 1. Februarij MDCLXXXXI.
Vixit Annos LXXX. Menſ. VIII. dies XV.
A *Sedit in Pontificatu, An. 1. Menſ. 3. Dieb. XXVII.*

Plura paſſus In Pontificatu, Neapoli peſtilentiam, Romæ mures, qui vrbem ſupra modum vexabant: Anconæ motum terræ, omnibus occurrit prouidus; Mures anathemate perculit, adhoc deſignato Cardinali M. Antonio Barbadico; Vrbem & Prouincias ſuis olim conſiliis à Luis excidio, piis modò precibus, ope, & imperio à periculo vindicatas diligentià ſolertiſſimà cuſtodiuit. Anconam, finitimaq. oppida horribili terræmotu diuulſas, charitatiuo ſubſidio leuauit. Beneficentiæ B ſemper intentus, veniam à familiaribus popoſcit, ſi morte præuentus non omnibus ad menſurā ſatisfeciſſet. Viuens miſcēs vtile dulci, arcana Reipublicæ iocis ita miſcuit, vt etiā arguēdo audiētes voluptate perſideret, & lepidè oratores inanes dimitteret maieſtate tamen retenta Regnātis. Suadēti quondàm aulico, vt voto honeſtatis, feminis imperaret, cooperire mamillas, nec aliter in forum permitterentur exire? reſpondit grauiter; *Facient hyeme aduenìente*. Pecuniæ loco, cum argutiis vteretur, abundabat, tempore tamen opportuno, nec ſine fenore, bellè, ſcitè iocando ad vtilitatem Reipublicę, non voluptatem loquentis.

Laudauerunt eum in additionibus ad Ciaconium; Gregorius Moralis in ep. dedicatoria libri, cui *titulus Aſſparus Magni Hippocratis* Venetijs editi, An. 1653. Monachi S. Mauri Pariſienſes in noua editione Operum S. Bernardi. P. P. Mabillonus, & Germain in *Muſæo Italico*. Angelus Corrarius in relatione Curiæ Romanæ ad Rempub. Venetam.

Nummiſmata hic habes, elogijs hiſtoricis conuenientia, quæ ere, argento, auro percuſſa, ſedente Alex. VIII.













Inſcriptio Tumulo adiecta honorario.

A

Marci Patris, & Auorum virtutem
In grauiſſimis Europæ rebus toties exercitam
Principum calculo, Ciuitatum decretis probatam
Supergreſſus eſt Alexander
Securitatis publicæ voto & miniſterio ſuſcepto
Vrbem ac Prouincias
Suis olim conſilijs a Luis excidio
Pijs modo precibus, ope, & imperio à periculo
vindicatas
diligentia ſolertiſſima cuſtodiuit.
Octuagenario maior
Emeritis tot Annorum & laborum ſtipendijs
Nullum diem, ne ſupremum quidem Reipublicæ
non impendit.
Ratus non magis decere Cæſarem ſtantem
Quàm Eccleſiæ bono ſeruientem
Pontificem mori.

Alia Inſcriptio.

In ſubſidium belli ſacri
Armis, auro, legione, triremibus traſmiſſis
Thraces Epidauro, Elyma, Aulone
Sua ope ſubmotos vidit
Literarum ſacrarum copias adauxit.
Bis mille antiquis Codicibus ſua pecunia coemptis B
Et ex Regia Chriſtinæ.
In Vaticanam Bibliothecam illatis
Apoſtolicam doctrinam; & iura
Toto vitæ curſu fideliter aſſerta
Longanimitate, ſtudio, labore
Conſtantia demum defendit ſua.
Pacem & Veritatem adducere conatus & oſcula
Contendit in Cœlum, vt inde proſpiceret.
Inſtaurato ad prouincias ditandas commercio
Vt vita etiam perfunctus Reipublicæ prodeſſet
Sui funeris mulctam donauit.

Alia Inſcriptio

Alex. VIII. Otthobonus Venetus P. M. mille nongẽtos cõſcriptos Codices ex ijs quos Chriſtina Alexandra Suecorum Regina vndiq. conquiſiuerat ſelectos, paucis quoque è ſua domeſtica bibliotheca adiectis, Vaticanæ attribuit, & Alexandrinæ nuncupatione propriaq. aula diſtinxit. Anno Sal. 1690. Pontif. 1.

Alia Inſcriptio

Magnificentium funeris Pontificij
Inijs, quæ deſunt, Viator admirare
Sumptuarijs enim legibus latis
Plurima illius ornamenta reſcidit Alexander
Qui vectigalibus quà leuatis, quà remiſſis
Quorum redemptio
Quadragies centenis millibus nummorum ſtetiſſet.

Alia Incriptio

C

Alex. VIII. Otthobonus Venetus P. M. Pauli V. prouidentiſſ. Pont. beneficium, Tiberis Repurgato ſpecu nouiſq. pontibus inductis Riuos ſuis quemq. labris olim anguſte contentos, vnico coperamplo lacu excitato recepit. Aream aduerſus labem Montis ſubſtruxit, & lapidem margine terminauit, ornauitq. Anno Sal. 1690. Pontif. ſui ſecundo.

Cardinalium Promotio prima.

1. *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.*
40. Pſal. 1.

PEtrus Otthobonus Venetus patritius, Antonij Otthoboni filius Generalis S. R. E. ex Maria Morettiſ, natus die XI. Iulij Sal. An. 1667. cui in baptiſmate nomen impoſitum *Petri Clementis*; pronepos Alex. VIII. R. P. ſub cuius diſciplina modeſte educatus, literis incubuit honeſtioribus, & propatrui vigilantia, arcana aſſequutus Reipublicæ, ad Pontificatum aſſumpto patruo, licet iuuenis Annorum XXII. vt Princeps ac nepos Pontificis ſalutatus ab Oratoribus Regum, à patruo Apoſtolicus Protonotarius, poſt dies quindecim Cardinalis *S. Laurentij in Damaſo*, die nempe 7. Nouemb. 1689. ſenum iuſtiſſimè occupauit ſubſellia, a ſecretis aſſumptus, & totius eccleſiaſtici imperii generalis adminiſtrator. Congregationibus Romanis omnibus

tan-

tanquam nepos adſcriptus Pontificis, Regularium S. Mariæ de Mercede, redemptionis Captiuorum protector. Vice Cancellarius S.R.E. Legatus Aucuionenſis poſt diſceſſum Contareni Veneti Oratoris vſq. in aduentum Nicolai Ericcij, patriæ ſuæ Venetæ Reipublicæ filius obſequens & fidelis, iura patriæ nunquam neglexit, imo ardua compoſuit, difficillima expugnauit. Veneto abſente oratore, vni Othobono Senatus arcana credidit, euentu ſemper felici. Excelſi animi Petrus annuam expoſitionem Venerabilis Sacramenti, Horarum 40. in ſua Titulari Eccleſia S. A
Laurentij in Damaſo, ea pompa celebrat & cultu, vt parem non habeat; Pietate non minori Sacrum Viaticum Infirmis cum defertur parœciæ ſuę, ære proprio cereis ſẽper comitatur accenſis. Eiuſdem Parochię pauperibus Pharmacopæam aperuit, ex qua gratis omnia ſubminiſtrantur Regia plane liberalitate. S. Laurentii Iuſtiniani compatritij ſui, & Venetiarum ProtoPatriarchæ (cuius digitum ſeruat in capſula aurea) deuotus non tam Canonizationi eius ab Alexandro VIII. adſuit decretæ & abſolutæ; quàm eius cænobium ſub titulo *S. Georgij in Alga* Venetiarum iam à Cle- B
mente IX. ſuppreſſum, & Fratribus traditum S. Franciſci de Paula, antiquitate conſumptum obliuione neglectum, ruinæ proximum, curauit, omnemq, mouit lapidem aduerſus inſidias diaboli, vt præteritis Curialium obiectis Fratribus traderetur Carmelitis Diſcalceatis, vt ſanctius coleretur, & tanti Patriarchæ memoria reſurgeret, eo præcipue in Sanctuario vbi Sapientia Æterna viſibiliter apparuit colloquens cum D. Laurẽtio. Opus ſane arduum & pene deſperatũ poſt biennale diſſidiũ vnius Petri Otthoboni Eminẽtiſſ. patrocinio fultus cõpleuit frater meus carnalis *P. Laurentius Iuſti-* C
nianus a S. Eliſæo, nunc Carmelitarum Diſcalceatorum Prouincialis Venetæ Prouinciæ, cui Clementia elargita ſuperna, vt de pluribus Monaſteriorum fundationibus meritus de Cremenſi præcipue ſub titulo S. Mariæ a Cruce, & S. Georgii in Alga Venetiarum, poſt varios caſus & diſcrimina rerum, vexilla ſolus expanderit Virginis Thereſiæ, ac S. Laurentii Iuſtiniani, cuius nomine deuotus decoratus, cum Apoſtolo 2. Cor. 11. n. 23. abſq. iactantia recitat *Miniſtri Chriſti ſunt (vt minus ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius*. Romano namq. D
conſtrictus carcere a P. Fr. Honorio ab Aſſumptione Carmelitarum Diſcalceatorum Generali, per cuſtodem dimiſſus haud quieuit, priuſquàm Romano plaudente Pontifice, in agro Cremenſi vnà cum P. Fortunato a S. Carolo (de quo in vita Card. Archinti) domum aperuit Thereſæ matri, altaria ſacrauit. Quæ omnia ſoli Deo debet, ad quem confidenter acceſſit plorans & vigilans Petro interprete Cardinali Otthobono.

Omitto quæ Iubilæi Anno ſæculari 1700. vna in Vrbe, plaudente Orbe magnificè, & piè in ædificationem corporis Chriſti dietim operabatur peregrinis occurrẽdo, in menſa miniſtrando, domi excipiendo, eleemoſinis iuuando, pedes lauando, Confraternitates excipiendo, quæ Romam aduentabant pro conſequendo Indulgentiarum theſauro: præcipue contribulem ſuam Confraternitatem ſuffragii S. Hieremiæ Venetiarum, cuius fratribus qui ſupra centum conuenere, coronam ſingulis donauit Achatis cum nummiſmate argenteo, Lipſanarium plaſmatum ſanguine Martyrum & gemino cereo Agni cæleſtis.

Omitto quæ in creatione Innocentii XII. & Clementis XI. ingenioſe, prudenter, modeſte abſque tumultu egerit pro exaltione tantorum Pontificum. Primæ claſſis Theologi, Iuriſtæ, Hiſtorici ſuas adſcripſere lucubrationes, *Io: Ciampinus ep. dedic. de S. R. E. Vicecancell.* pauca ſed grauiter: *Quantum recreat illa facilis benignitas, mitis comitas, par rebus ſummis dexteritas, ſenilis prudentia in ſacris augendis, ornandiſq. Religio & profuſa in pauperes liberalitas quæ in V. E. elucet &c.*

Eius inſignia gentilitia habes in Alex. VIII. R. P. eius propatruo.

2. *Viciſti famam virtutibus tuis.*
2. Paralip. 6.



GEns Panciatica tota Hetruria celeberrima, pluriumque ſæculorum nobilitate conſpicua, fecunda Heroum parens viros ſemper produxit Sago & Toga, belli & pacis artibus longè clariſſimos; alij namq, militiæ dediti, ſtrenuique militum ductores effecti, ad ſupremum imperiũ inuicto fortiſſimoq. animi viriumque robore peruenerũt. Alij plures Patriæ Solones, eiuſque præcipua munia conſecuti, ad ſupremos Principes oratoris officiũ ducentes Patriã manu non minus quam conſilio clariſſimum reddidere, imo & Maximarum ciuitatum, Vrbis præcipue Romæ, dum Pontifices abſentes Auenione moram ducerent, regimen & gubernium tenuerunt. In huius familiæ Viris recenſendis conſulto abſtinendum, iniurioſa ſi quidem foret Bandino illorum tametſi omni elogio digniſſimorum enumeratio, vt pote qui tantam claritatem ex ſe ipſo fuerit conſecutus, vt adſcito maiorum ſuorum

lumine indigere non videatur. Conſtat autem
hanc familiam Piſtorio, nobiliſſima Tuſciæ
ciuitate, oriundam, Florentiã duobus ab hinc
ſæculis tranſlatam, ibique infixam, atque
inter primarias cooptatam, præcipuis mune-
ribus atque dignitatibus, quibus principalio-
res eius ciues perfrui & conſequi ſolent, ſem-
per poſitam, adhuc ibi clareſcere Principi
claram atque acceptam. Ex hac igitur gente,
& Matrona ſanguinis alti Ducum Guadagniæ
ortus eſt Florentiæ Bandinus Panciaticus, die
10. Iulii Sal. Anno 1629. vel (vt alii notant)
1626. qui ſtatim ac infantiam exceſſit, ac in-
ter Ephebos numerari cœpit, tot maiorum
ſuorum imaginibus accenſus ad gloriam, vr-
bem Vrbium principem adiit, vbi in nobiliſ-
ſimo Collegio Germanico Vngaricoque inter
clariſſimos conuictores adſcriptus, ſub cura
PP. Societatis Ieſu liberalibus omnibus diſci-
plinis apprimè imbutus, animum addixit
iuriſprudentiæ, in quà continuis vigilijs atq.
indefeſſis laboribus, maxima mentis capaci-
tate, ingenijque indole benè iuuantibus, adeò
breui temporis curriculo profecit, vt ad diffi-
cillimum aduocationis munus in Vrbe ſuſci-
piendum aptus atque idoneus effectus, ſummo
plauſu, animi ingeniique dotibus excultiſſi-
mus orator jam facultatem exercuit. At breui
tempore in foris atque ſubſellijs Romanus hic
Demoſtenes verſatus, ad exedras & iudican-
tium ſubſellia tranſitum fecit. Aſſumpto
namque ad Summi apicem Pontificatus Cle-
mente Nono, cum quo Bandinus affinitatem
contraxerat, ſtatim in curia Capitolina Iuri-
dicundo præfectus, primus illius fori, vti
vocant, Collateralis creatus fuit. Magiſtra-
tum hunc nec diu retinuit, vt pote ad maiora
& Pontificis Maximi beneuolentia, & Popu-
li calculo vocatus Prælatus in vtraque ſigna-
tura Referendarius, ſimulque Cameralis Au-
ditoris locumtenens renunciatus, mirum eſt,
vixque depingi poteſt, qualem & quantum in
hoc ampliſſimo controuerſiarum forenſiũ Cã-
po Bandinus ſe præſtiterit; tota Roma, quanta
quanta eſt, quæ perfectum incorrupti doctiſ-
ſimique Judicis in eo exemplar ſuſpexit, atque
admirata eſt, ipſa ennarret. Ius ſuum vnicuique
tribuere, Iuſtitiæ gratiam & pretium poſt
ponere, potentioribus non adulari, talis Iu-
dicantis propriæ erant partes, vt ſi Aſtræa in
Terras reuerſura fuiſſet, illo præcipuè tempo-
re remeaſſet. Eo Magiſtratu per plures Annos
laudabiliter exercito ſe ſpontè abdicauit; cum
de caſtro Carbognani quæſtio agitaretur a
Comineſtabili Columna; Si cauſam ſcire cupis
talem reperies, vt Bandini animum ſummà
conſtantia, maiori fortitudine præditum, ſta-
bile, intrepidum, a pauore alienum, incor-
ruptum, & nonniſi à Iuſtitia regulatum,
deprehendes, atque prædicabis. Sed parum
a muneribus publicis, iiſque grauiſſimis va-
cauit. Nam ſtatim ac Innocentius XI. Sanctiſ-
ſimus Pontifex Eccleſiæ vniuerſalis guberuio
præpoſitus fuit, Bandinum in partem curarum
aſſumpſit; illique cooprato inter S. Ro-
manæ vniuerſaliſque Inquiſitionis Conſulto-
res; præcipua munera Secretariatus Sac.
Congregationum Viſitationis Apoſtolicæ
Status Regularium, atque Epiſcoporum &
Regularium contulit, atque demandauit.
Mirum profectò eſt quanta ſedulitate tot tan-
tiſque muneribus ſolus operam nauauerit; Et
quod alios penè ſuo pondere oppreſſiſſet, Ban-
A dinum occupatum non grauatum habebat.
Sed his laboribus alios adiunxit Innocentius
cui bene nota erat Bandini in rebus agendis
ſedulitas, induſtria, aptitudo. Vacata
namque ſuprema Archihoſpitalis S. Spiritus
in Saxia præfectura, Pontifex nullum alium
reperiit, cui maximę Domus curam regimenq.
commendaret, quàm Panciaticum, qui ſu-
ſcepta adminiſtratione innumeros penè labo-
res, multaſque vigilias impendit, vt celeber-
rimum, totiuſque Orbis Terrarum præcipuum
Xenodochium priſtinæ maieſtatis fulgorem
adipiſceretur, & maius augmentum tam in
B ſpiritualibus quàm in temporalibus & æco-
nomicis reciperet. Perſuncto per plures annos
præfectura, eiuſque adminiſtratione precario
accepta, depoſita, noſcens Pontifex maximam
Jocipii vtilitatem, acceptoſque redditus,
mirum eſt quantis laudibus atque encomiis
innitos Bandini ſudores deprędicauerit, eoque
magis laudabiles; quia ſinceros, & ſolo glorię
intuitu innitos quia onus præfecti ſubibat
ſemper cum onere ſed ſine honore & vtilitate.
Quis non crederet Bandinum purpurę maturũ
ab eodem Ponifice, à quo tam grande experi-
mentum continuo de eius doctrina,
C prudentia, idoneitate fiebat, de proximo
oſtro ornandum? At res aliter acci-
dit, habita ſiquidem per eundem Pontificem
ſecunda, eaque maxima promotione, purpu-
pura Panciaticus, quam omnium teſtimonio
demerebat, remanſit eſclusus. At quis enar-
rare valeat Populi Romani pręcipuum mœro-
rem, & quaſi in publica calamitate bachantis,
dum Panciaticum, cuius pręcipua maximaque
in Sedem Apoſtolicam merita omnibus obuia
erant, promerita dignate non ornatum aſpi-
ciebant. At ipſe vultu hilari, & ad ſereni-
tatem compoſito fortunæ minaci illudens, eo
D dignior purpura videbatur. At dilatus non
negatus honor a Pontifice, quo ſi vltimam
promotionem peregiſſet, Bandinum merito
honore cumulaſſet: id notatum repertum in
ſchedula manu Pontificis exarata; quod
ad Panciatici gloriam maiorem refe-
rendum venit; vt ab vno Pontifice
purpura dignus habitus, ab alio crea-
tus eo dignior honore appareret. Alexander
Octauus cuius prudentiam in ſeligendis mini-
ſtris

ſtris noſcendisque hominibus virtute ac pru-
dentia prędiris noſtra & ſequens ætas mirabi-
tur, ſuſcepto ſtarim Pontificatu, nil prius ef-
fecit, quam grauiſſimum maximumque ſedis
Apoſtolicæ munus Datariatus, Bandino cuius
prudentiaṁ & in rebus agendis ſolertiam no-
tam habebat, accommodare; In eo Concla-
ui, in quo de ſucceſſore actum Innocentij XI.
nil magis Bandinus timuit, quàm ab exalta-
tione Otthoboni, cui in Congregatione Epiſ-
coporum & Regularium tanquàm ſecretarius
ſępe ſępius aduerſatus fuerat; ex quo Magnus
ille Card. Otthobonus tantũ abſuit, vt eũ odio A
inſequeretur, quod potius viri iuſtitiam, atq.
integritatem promouendam animo delibera-
uerit, Nec ſibi deſuit, Panciaticum namq.
inſperato, & pene deſperatum ad ſe accitum,
Datariatus munere auctum, Patriarchatus
Hieroſolymitani dignitate ornauit, ac die 13.
Februarij. 5690. tit. S. *Pancratij* Cardinalem
dixit, primumq. ſuę promotionis Cardinalem
nominauit fidelem ſperans interpretem ſuæ
voluntatis non ſolum in aula, ſed etiam in
familia. Tanto in munere ita ſe geſſit, vt
perfecti omnibuſq. numeris abſoluti Cardina-
lis, pręcipuiq. Pontificij miniſtri perſonam B
induerit: quod facto ipſo comprobauit SS. D.
N. Innoc. XII. quum inito Pontificatu, tam
grandi Cardinali idem Datarij munus confir-
mauit, ſuoq. lateri adhærere voluit: ita vt raro
exemplo, & ſæculis inaudito, dictum munus
ſub duobus Pontificibus exercuerit, ea iuſtitia,
ſinceritate, vt ipſi Pontifici Innocentio XII.
liberè exponere non formidauerit pręiudicia,
quę ex eius liberalitate refluerent aduersùs
publicũ erariũ & iura Datariæ. Vnde grauis
factus & oneroſus ipſi Pontifici, ſpetie honoris
& remunerationis, ad ditiſſimas inſulas deſi-
gnatus modeſte ſe excuſauerit, plus in exiſti-
matione ducẽs, quàm in diuitijs & vtilitatibus.
Pluribus Congregationibus adſcriptus, in-
terque ſupremos hæreticæ prauitatis inquiſi-
tores adnumeratus viuit Iurium Sedis Apoſto-
licæ acerrimus vindex, conſtans, inflexibi-
lis, Iuſtitiæ tenax, virtutis promotor, vitij
terror; Maximorum Sedis Apoſtolicę nego-
tiorum vel promotor vel conſultor. Monacho-
rum Caſſinenſium Protector inuitus creatus,
a Sanctiſſimo D. N. legatus a latere ad aperiẽ-
dam Portam Sanctam Baſilicę Oſtienſis S. Pau-
li, renuntiatus, ſolemni præcipuoque Equi-
tatu magnaque, ſummo Principe Eccle-
ſiaſtico digna pompa; munus iniunctum
obiuit. Plura de huiuſmodi Cardinali dicun-
tur in Epiſtola nuncupatoria appoſita operi-
bus Pacis Iordani in ſecunda Impreſſione Ve-
neta per Paulum Balleonium habita. Comitiis
adfuit Innocentij XII. Clementis XI. in quibus
merita Pontificem prælndebant futurum. A
ſecretis modo aſſũptus a Cle. XI. Chriſti Vica-
rio partẽ gerit ſollicitudinis, in ouili Chriſti,

3. *Eſtis hodie ſicut ſtellę Cæli.*
1. Deuter. 10.



IO: Baptiſta Rubinus,
natu Venetus, filius
Donati Rubini, ex Fau-
ſtina Medicea ciuibus
Venetis, quos occaſione
Belli Cretẽſis inter Pa-
tritios Veneta aſſum-
pſit Reſpublica, natus
die 4. Iunii, 1642. fon-
te renatus Baptiſmi,
in Eccleſia SS. Hermacorę, & Fortunati, die
28. Iunii, eiuſdem Anni. Studiis incubuit
Venetiis & Brixiæ, ſub cura Petri Otthoboni
Ep. Brixienſis, & Card. S. R. E. propatrui
Io: Baptiſtæ, Chriſtina namq. Otthobona ſoror
Alex. VIII. R. P. Io: Baptiſtę Rubino nupſit auo
Cardinalis. Inſtigante itaq. Petro Card. Otthobo-
bono Rubinus nomen cum dediſſet Eccleſiæ,
Canonicus dictus eſt Taruiſinus, poſtea Pata-
uinus, Reſidentiam diſpenſante Pontifice,
vt ſtudiis commodè vacaret. In Datarium po-
B ſtea euocatus Petrus Cardinalis Otthobonus;
ſub Clemente IX. Romam Rubinum ſecum du-
xit, Maceratæ Gubernatorem præpoſuit,
Spoleto, Fabriano, Peruſio, Campaniæ;
Sub Innocentio XI. die 21. Maii 1684. Epiſco-
pus dictus Vicentinus, Patauii lauream I. V.
ſuſcepit: tandem a Petro Otthobono in
Romanum Pontificem aſſumpto nomine Ale-
xandri VIII. Presbyter Cardinalis creatus die
13. Februarii An. 1690. tit. *S. Laurentij in pa-
ne, & perna* cum imperii adminiſtratione, a
ſecretis aſſumptus, Congregationibus inter-
fuit Sacræ Conſultæ; Epiſcoporum & Regu-
C larium; Rituum; Propagandæ; Regularium,
Viſitationis Apoſtolicæ; Annonæ. Vrbini
tandem legatione donatus comitiis adfuit In-
nocentii XII. In legatione plebem habuit mi-
nus obſequentem, Annonæ caritate ſæuiente.
non ſine murmure aulæ Romanæ. Sed quid ho-
mini imputamus, cũ elemẽta laſciuiũt? Comi-
tiis adfuit creãdi noui Pontificis poſt obitũ In-
nocentii XIJ. in quibus veſtigia ſecutus Card.
Petri Otthoboni, *Albanum* promouit nomine
Clementis XI. Modo vaſa colligit, vt diœceſi
Vicentinæ ſe reſtituat, vt cultum Dei promo-
ueat, & ouium ſalutem.

D Lemma quod ei ſupra apponitur, pars eſt
ſtemmatis gentilitii; & lumen annuit Cardi-
nalitium, quod in Cœlo Eccleſiæ vt ſtella
fulget.

De eo lege ep. dedicatoriam Hieronymi
Albriccij præpoſitam Commentariis Cornelij
a Lapide *in Acta Apoſtol.*

4. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.*



FErdinandus de Abdua filius Comitis Conſtantij de Abdua ex Anna Maria Cuſana Marchionis Auguſtini Cuſani filia, natus die 27. Auguſti dicunt alij, Aprilis 1650. portentoſa educatione ter a ſerpente vinctus irretitus in oppido Chignoli, illæſus tamen repertus, vel quòd animal ſagax ad hominem mire prudentem natura euocaretur impellente, vt prudentiam edoceret, lactaretq. infantem, quò alludit lemma ſuprapoſitum (*Eſtote prudentes ſicut Serpentes &c.*) Ter ablutus vnda Baptiſmali, & ſemel renatus, licet ex ſcrupoloſa conſcientia eius, qui curam ſubibat baptizandi, baptiſma ter replicaſſet, dubio agitatus intentione defeciſſe baptizandi, dũ actu baptizabat. Clara ortus ſtirpe, in qua Franciſcus Salis Comes, Septimi Dominus Aguienni ac Garletæ, qui Mediolani hoſpitio recepit Carolũ V. Imperatorẽ. Cõſtãtius verò Franciſci filius eiuſdẽ Imperatoris caſtra ſequutus in bello Saxonico aduersùs Proteſtantes plura ſubijt diſcrimina vitę. Paterna æmulatus veſtigia Frãciſcus alter Salis Comes, S. Ioãnis Piumeſanæ Marchio penè natus in caſtris, in quibus ab Anno ętatis decimo quinto, vſq. ad ſeptuageſimum percurrens omnes militiæ gradus, Generalis caſtronem præfectus conſequir.

Militię togatæ nomen cum dediſſet Ferdinandus, Mediolani & Senis Muſas quęſiuit, Romæ, Bononię ſpatia emenſus Philoſophica atq. Theologica, in Iuriſprudentia quieuit, laurea decoratus Ticini, Sal. Anno 1675. Septuageſimo verò ſeptimo, Princeps Accademię *Laborioſorum*, Mediolani erectæ, in collegio S. Antonij, biennio præfuit; nam Anno 1679. Iuris Conſultorum Colleggio adſcriptus Mediolanenſi, Abbatiam obtinuit, Romamq. venit, Rotę Auditor Romanæ nominatus a Colleggio ſuo, cuius ſpe fruſtratus, cognatus cum eſſet Lucij Odeſcalchi nepotis Innocentij XI. R. P. ab hoc in Hiſpaniam miſſus cum biretto Cardinalitio ad Sauum Millinum Nuncium Apoſtolicum, officio functus rediit titulo exornatus Apoſtolici Referendarii; inde Sal. Anno 1684. ad Regem legatus Britannum, ſacris initiatus ſub titulo Archiepiſcopi Amaſienſis, ritu ſolemni Regem, populum Communioni reſtituit Catholicæ, ea pompa vt Fidẽ Romanam in ſinu ſuo reducere videretur tot Annis Britãnia exulẽ & profugam: ſpe grandi concepta, pacatis animis propediem inter Romanam Eccleſiam & Anglos, ea fœdera inſtauratum iri, quæ tanta vtriuſq. gloria, Mater hæc gloriaretur *Angelorum*; illi verò Filii & *Defenſores* dicerentur Eccleſiæ. Vndiq. ergo Religione afflante, Galeſij principem & infantem regni, vnda tinxit Baptiſmatis, quod intra lares adminiſtrauit; publice tanquàm patrinus Romani nomine Pontificis ſacro additaos Chriſmati ſaluris, in tutelam ſuſcepit. Hæc, donec Inferis iterum malignantibus, & ad vomitum relabentibus hæreſiarchis, pax euanuit: coactus Nuncius perſonatus ſe fuga ſubducere reperto vitæ diſcrimine, poſtquam Reginam Catholicam in tutum ſubduxiſſet cum Principe infante, quos tutelæ Legati Rex crediderat. Poſt varios itaq. caſus, atq. diſcrimina rerum Romam rediens, animam agentem inuenit Innocentium XI. qui tantorum laborum præmia ſucceſſori deſignanda reliquit. Nec aberrauit Alexander VIII. ad cuius pedes cum acceſſiſſet Ferdinandus, graui à tanto Pontifice decoratus elogio, *Martyr* appellatus eſt *viuens Eccleſiæ Anglicanæ*, Presbyter propterea aſſumptus Cardin. tit. *S. Balbinæ*, Sal. Anno 1690. die 13. Februarii, Congregationibuſq. adſcriptus Trid. Concilii; Epiſcoporum & Regularium; Propagandæ; Rituum; Signaturæ Gratiæ; Status Regularium; Viſitationis Apoſtolicæ; Aquarum. Paludum Pontinarum: Ab eodem Alex. VIII. cum Cardinali Acciaiolo ad Pontem Felicem, vt de aquarum innudatione referrent; notitia habita, ſtatutum; *ne innouarentur decreta*. Comitiis cum adfuiſſet Innocentii XII. ab eodem Legatus de Latere cum Card. Franciſco Barberino ad ſedanda diſſidia inter Bononienſes, Ferrarienſes, ac Rauennates Aquarum reſtagnantium cauſa, pacem reſtituit. Sexta Martii 1695. fabricæ præpoſitus Montis Citorii; inde Ferrariæ Legatus, adminiſtrationem etiam accepit die 16. Ianuarii 1697. Epiſcopatus Ferrarienſis, vacantis ob mortem Cardinalis Taurufii. Bononiæ legatus præfuit gratus populo, Magnatibus non ſuſpectus, quibus iura Magiſtratuum ſarta voluit. Libertate maiore nunquam donatus Populus ea modeſtia reſpondit; vt quiete maiore frui non deſideraret Legatus. Eius in laudem plebs Virgiliano delectata carmine, ad lyram canebat nocturnam. *Elog.* 1.

O Mellibęe Deus nobis hæc otia fecit.
Namq. erit ille mihi ſemper Deus: illius Aram
Sæpe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boues, vt cernis & ipſum
Ludere quæ vellem, calamo permiſit agreſti.

Comitijs etiam adfuit Clementis XI. Sal. An. 1700. modeſtia exemplari; inde Bononiam ad ſuam reſtitutus legationem, iuſtitia inconcuſſa regit populos, annonam procurat.

Imprudentiæ arguitur ab æmulis & intempeſtiuæ ſollicitudinis, qua Iacobum Regem

An-

Angliæ, additis calcaribus impulerit cum nimia feſtinatione Fidem in regno ſuo reſtituere Catholicam quaſi periculo Religionis purpuram ſibi procuraret. Plura alia iniuſte, & oſcitanter impingunt Heteredoxi, in fabuloſa *P. Petter* Regij Confeſſarii vita ad Catholicæ Religionis ludibrium a ſeditioſis Religionariis expoſita. Grati iam inſuper tedemiſse Alexandri VIII. munere oblato Lampadarii Chriſtallini, ſatytis cecinere ſuis, quibus ſequenti occurrimus epigrammate.

Epigramma.

Abdaa Regna Deo, & Calum ſeruare conatur
Regibus, in præceps cuncta ruere tamen.
Conſilia immatura citò properaſſe ruinam
Proditur, & fregit Purpura Sacra fidem.
Mirandum! votis rident, ſi quando ſecunda
Facta nemo dignum laude celebrat opus.
Si forte incaſſum innixa eſt ſolertia, lingua
Conuicijs rabiem garrula quaque vomit.
At quid? ſoluuntur vane deliria vocis
Vento, nec Celi ſcandere tecta queunt.

5. *Abduxit Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele: & ait Samuel ad Iſai: Nunquid iam completi ſunt filij? qui reſpondit: Adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues: Et ait Samuel: mitte & adduc eum. Miſit, & adduxit eum. Et ait Dominus: Surge; vnge eum: & ipſe eſt.* 1. Reg. 16. n. 10.



IO: Franc. Albanus patria Vmber Vrbini natus, die 22. Iulii: dicunt alii Maii Sal. Anno 1649. Pallade excitante ſcholas quęſiuit, in quibus Græcè ac Latine inſtructus arcana rimauit naturæ ac Gratiæ: Philoſophus namq. æque ac Theologus dogmata funditus edoctus Euangelica, diſseruit, propugnauit, conſcripſit. Sacri atq. profani iuris non tam conſultor, quam moderator & arbiter, regendis vrbibus miſsus Eccleſiaſticis, à ſubditis eo exceptus honore, ac veneratione, vt illi occurrerent, veluti aduentanti Iuſtitiæ. Hiſce in ſubſelliis, cum ſe maiorem probaſset, quàm vt priuatis populorum commodis miniſtraret; in aulam vocatus Romanam Vicarius dicitur Baſilicæ Vaticanæ; inde ſcri-
D ba doctus in regno Cœlorum, à ſecretis aſſumptus, vt ibi Pro Dei præcepta conſcriberet; adeo plene, & vtiliter temporibus pręſtiterit difficillimis, vt poſt breue virtutis experimentum Innocentius XI. P. R. qui Albano, in tutandis ſupremæ maieſtatis iuribus vſus fuerat, labori præmium ei licet ætate florida Purpuram decreuit, quam tamen morte pręuentus ſucceſſori Alexandro VIII. conferendam reliquerit: id agente Numinis prouidentia, vt non vno ſupremo Suffragio proximam ſummæ dignitatem naneiſceretur, Purpuraq. ex eo deinceps anguſtiore dignus renunciaretur iudicio duorum maximorum Pontificum, quorum alter illam Albano debitam fateretur, alter debitam præſtaret. Imo vterq. debitam ei, præſtitamq. pari ſuffragio commendaret, quam nimirum Innocentia morum ſacraret impenſius, atq. vel ipſi Eccleſię hoſtibus venerabilem redderet meritorum ſuorum inſigi plane modeſtia: Die itaq. 13. Februarii 1690. ab Alex VIIJ. Diaconus Card. *S. Hadriani* dictus, Congregationi adſcribitur
A Rerum Conſiſtorialium; Examinis Epiſcoporum; Immunitatis Eccleſ. Controuerſiarum; Indicis librorum Prohibitorum: Indulgentiarum. S. Officii; Propagandę; Rituum Status Regularium; Viſitationis Apo. Congregationi Auenionenſi; Regularium Minimorum S. Franciſci Protector, in quibus omnibus, dandi auidus, arripiendi faſtidioſus, oſor flagitii. ęquitatis amator, probitatis teſtimonium ſortitur, quale Caſſiodorus dum ei dignitas Patritiatus collata. *Æquabilis credendus eſt, quem iuſtus elegerit, temperantia preditus, quem moderatus aſciuit: omnium profecto capax eſſe poteſt meritorum, qui iudicem cunctarum meruit habere virtutum.*
B *Quid enim maius quæritur, quàm hęc meruiſſe laudũ teſtimonia; vbi gratificatio non poteſt eſſe ſuſpecta, Regnantis quippe ſententia iudicium de ſolis actibus ſumit, nec blandiri dignatur animus dominij poteſtate munitus.* 1. *Var.* 3. Eius in exaltatione tres conuenere Hierarchę, duo Innocentii, & vnus Alexander teſtimonii veritate clauſa circulo innocentię; eodem permiſſo munere, quod Orbem vniuerſum patitur obſeruatorem, obiurgatorem: cum tamen eum nemo arguat de peccato. Comitiis adſuit creandi noui Pontificis, per obitum Innocentii XII. in quibus ipſe Anno ætatis ſuæ quinquageſimo primo, cunctis ſuffragiis Pontifex creatus nomine Clem.
C XI. plaudentibus ſenioribus octuagenariis, vt in electione Regis Iſrael, quum ex ſeptem filiis Iſai Dauid iunior & pene paruulus, mandante Domino, Rex vngitur à Samuele. Epiſcopus cum non eſſet, die 5. Decẽbris. 1700. in Epiſcopum conſecratur: & die Conceptionis Immaculatę 8. Decemb. 1700. in Chriſti Vicarium coronatur. De eo ſcripſit Nicolaus Comnenus Papadoli ſucceſſor meus in Cathedra Patauina, mane, Iuris Canonici in dedicatione libri ſui ad Io: Franc. Albanum Card. S. R. E.

6. *Non*

Tom. V

Digitized by Google

6. Non fænerabis fratri tuo ad vſuram, pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; ſed vbiq. abſq. Vſura id, quo indiget, commodabis 23. Deuter. 20.



IO: Baptiſta Coſtagutus Romæ natus, die 26. Aprilis An. Salutis 1636. Lyguria oriundus Romam matrem habuit, quò genitor ſe contulerat, & filios pro- A creauerat. Studiis incubuit ſub diſciplina Societatis Ieſu, à qua litteras edoctus & pietatem, in caſtra deſcendit Eccleſiæ, ſedente Alex. VII. R. P. Exeunte vero Pontificatu Clementis IX. Clericus dictus Cameræ Apoſtolicæ in locum Lazari Pallauicini ad purpuram aſſumpti. Annonæ præfuit abſq. murmure, quòd immunis à fœnore & monopoliis Plebem habuerit obſequentem. Cardinalis aſſumitur ab Alexandro VIII. die 13. Feb. 1690. tit. *S. Bernardi*, Congregationibus adſcriptus Sacræ Conſultæ; Fabricæ S. Petri, Rituum, &c. Ingenio placidus, B caſtus, eleemoſinarius, negotiis aptus, literatorum amicus, pauperum patronus, plebi, Magnatibus irreprehenſibilis, Religioni ſemper intentus in Feſtis Maioribus, in Monaſterium ſecedit Patrum Diſcalceatorum S. Mariæ de Scala, vbi ſibi conſtructis paruulis cubiculis orationi vacat, & peccatorum expiationi. Bacchanalia cum alii tripudiis celebrant: ipſe in ſupraſcripto aſceterio carnem ieiuniis macerat, mortem meditando, ſepulchro ſibi extructo apud S. Carolum de Catinariis iuxta ſacellum, quod magnis ſumptibus ædificari curat. Comitiis adfuit Innocentii XIJ. nomine auctus & prognoſtico aſſumptionis ſuæ in Pontificem futurum, quo deceptus coixius, & impenſiùs orationi incubuit, & contemplationi. Comitijs adfuit Clementis XI. in quibus plenus modeſtia & humilitate imperauit ſibi, & Domino ſincere benedixit in creatione Clementis XI.

Ab hoc vno diſcite Eccleſiaſtici, baſim virtutis, ac Maieſtatis ſplendorem in eo lucere, cum quis imperat ſibi.

7. Sed ſicut in omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni ſollicitudine, inſuper & charitate veſtra. 2. Cor. 8. n. 7.




FRanciſcus Iudice ex nobili maiorum gentium familia ortus, quæ anno 1648. ab Vrbe Ianua Neapolim tranſlata, pollens opibus, affinitatibus præclara, honoribus illuſtris in Nobilium Neapolitanorum Curiam, quam Capuanam Plateam dicunt, allecta eſt. Is VII. Idus Decembris An. 1647. ex Nicolao Iudice, & Hippolita Palagana Neapoli naſcitur. Hippolita Sanctiuiti in Salentinis Domina, ex Palaganorum genere notiſſima, & vnica, per antiquæ, & iam inde à Normannis vſque deriuatæ familiæ, quam Petrus ſub Ioanna II. Neapolitanus Prorex, & ſub Alphonſo I. Mareſcallus, ſeu ſummus exercitus ductor egregiè illuſtrauerat, fata clauſit. Nicolaus in Peucetiis Cellamarij Prin- B ceps, Iuuenatij Dux, Terlitii, & Caſtri Garagnonis Dominus in Diui Iacobi Equites nomen dedit. Tabellionum in Neapolitano Regno Præfecturam obiuit, & ſupremi Conſilii in eodem Regno extitit Princeps. quibus propriis alienas adiunxit opes per filiarum connubia: Nam Villæ, & Collis Principes alterum è Caracciola gente, è ſumma alterum, Noiæ, & Bilacij Duces hunc in Pignatella, illum in Caraffa familia natum generos ſibi aſciuit. Tandem pietate grauis, & in cultu Diuorum magnificus ad extremam vſque ſenectam producta ætate octuageſimum ſuperans annum, ſupremum obijt diem. Ex his ipſis parentibus Franciſcus Car-
C dinalis germanum fratrem nactus eſt Dominicum nomine, Cellamatij Principem, ac Iuuenatii Ducem, virum ſolertia Conſilii, & dexteritate ſpectatum ſatis qui Conſtantia ex nobiliſſima gente Pappacauda, Trigiani Principis filia, & Marchionis Capurſi ſorore in matrimonium ducta domi, foris autem amplas, ac difficiles legationes, & præcipue ad Ludouicum Magnum Galliæ Regem ex publico vſu geſſit: quibus in Hiſpanienſe Imperium pro meritis in ſupremo Italiæ, & belli Conſilio adſcriptus eſt: mox in Aragonum Regnum Prorex miſſus: tandem Hiſpanorum Magnatum
D honore donatus. Hac origine, his neceſſarijs, Franciſcus Clemente IX. Pontifice in vtraque Signatura Referendarium agens inter Protonotarios ex participantium numero aſcitus eſt. Dehinc à Clemente X. Bononiam pro Legato miſſus, eam Lazari Pallauicini Legati prouinciam magnificentia, & Iuſtitia excoluit. Tum Fani Præſes Romam accerſitus, Cameræ Apoſtolicæ Clericus electus, breui poſt ab Innocentio *XI.* Annonæ Vrbis præfectus eſt. Poſtremo cum Alexander VIII. in prima Cardinalium creatione Tuſanum

Ian-

Digitized by Google

Ianſonium Gallum creare deſtinaſſet, & Dux Me-
dinæ Cæli, Caroli II. ad Pontificem legatus Hi-
ſpanum Cardinalem in iiſdem Comitijs creatum à
Pontifice impetrare non poſſet; vt quo quò modo
virum Hiſpanico nomini addictum Gallo oppone-
ret; Franciſcum, quem ipſum Rex Carolus ei ad id
dignitatis faſtigium promouendum mandauerat,
creari Cardinalem curauit: Atque his de cauſis
poſtea ſuum purgauit cum Rege factum, qui di-
gnitatem Franciſco delatam probauit quidem ob
viri meritum; ſed quia ex quibus Comitijs Gal-
lus, iis Hiſpanus Cardinalis non prodiit, ſuum
ius ea rè diminutum putabat. At Franciſcus, vt
gratum eius beneficij animum Regi ſignificaret, ſe
in Hiſpanicis partibus Cardinalem, nullis, quæ aſ-
ſolent, præmiis adductus, ſed vltrò profeſſus eſt.
Itaque Idibus Februarii Anno 1690. Cardinalis ti-
tulo *Sanctæ Mariæ de Populo* renunciatur: quem po-
ſtea, cum Collegium Bononienſe nationis Hiſpanæ
in ſuam recepiſſet fidem cum *Sanctę Sabinæ* titulo
commutauit. Congregationibus præfuit S. Con-
cilii Trid. nec non SS. Inquiſitionis Epiſcop. &
Regularium: Rerum Conciſtorialium: Immun. Eccl.
Controuerſ. Iuriſdict. Propagandæ, Rituum,
Signat. Gratiæ, Aquarum, Annonæ, Paludum
Pontin. & boni Regiminis. In Comitiis Pontificiis
habitis poſt Alexandri exceſſum, in Innocentii
XII. creationem plurimum contulit. Bis, & diu
pro Hiſpano Legato geſſit, tum Medinæ Cœli Du-
ce Neapolim Prorege profecto, tum Altamiræ
Comite ſuncrato. Itaque bonum, vtilemque Hi-
ſpanis ſpectatum Carolus II. à ſui ſanctioribus ſta-
tus Conſiliis elegit: atque eiuſdem Patrocinio Si-
ciliæ Regnum commiſit. In alteris Comitiis Pon-
tificiis, Clementi XI. Pontificatum ſuffragatus
paulo poſt à Philippo V. Prorex Siciliam miſſus
quam etiam nunc cum ſumma prudentiæ, ac Iuſti-
tiæ laude obtinet. Vir expromptus Conſilii, pa-
tiens laboris, ſecreti fidus: animo liberali, ve-
nuſto eloquio, amicorum cultor, literarum ſau-
tor ita agit, vt etiam quę à fortuna cęteris com-
modata, ſibi à virtute donata videantur.

8 *Et placuit ante vultum Regis.*
2. Esdrę. 1. n. 6.



Tuſanus Ianſon de Fo-
urbin, Gallus lucem aſ-
pexit Die X. Octobris, di-
cunt alij XI. Septemb. 1634
familia nobili quæ apud
Gallos regnante Ludouico
XI. gloriam hęredibus tran-
ſmiſit. Palamides enim Fo-
urbin Sallienſis Dominus,
ac ciuitatum Prouincię Prę-
ſes ea fide arcana Regis promouit, vt ſolus pruden-
tia, & auctoritate, qua apud populum contuma-
cem pollebat, Prouinciam in Regis obſequio ſer-
uauerit, in quam irrumpere conabatur Dux Lo-
tharingus. Eques in iuuentute dictus Hieroſoly-
mitanus, Annum cum attigiſſet vigeſimum ſecun-
dum, coadiutor aſſumptus a patruo Dinię Epiſco-
po in Prouincia, ætatem nactus legitimam Maſſi-
lienſis dictus Epiſcopus, poſtea Bellouacenſis ex
quo Comes, & Par Franciæ, morum integritate
gratiam meruit Ludouici XIV. Galliarum Regis, à
quo in caſtra ductus, pręterito vitæ diſcrimine la-
tus Regis nunquam deſeruit; hinc in Hetruriam
miſſus pro arcanis aulę grauiſſimis, M. Ducem ſi-
bi conciliauit. Legatus ad Batauos, poſtea ad Sar-
matas omnem nouit lapidem aduerſus Ducem Lo-
tharingum, vt poſt obitum Regis Michaelis exalta-
A retur in Regem Generalis Subieſchius, plaudente
Rege Ludouico XIV. qui labores, vigilias Legati
ſui torque rependit Spiritus Sancti. Ioannes vero
III. Rex Polonię collatis non ſemel teſtimoniis Re-
giæ munificentiæ, ad purpuram etiam nominauit,
licet Innocentius XI. P.R. conſtans acquieſcere Re-
culauerit, quod in gratiam Sarmatæ Regis, Polo-
nus, vel Italus eſſet aſſumendus, non alienigena; re
vera, quia Fourbinus comitiis adſtitiſſet Epiſco-
porum Gallię, quando in Palatio Archipieſcopali
ab Archiepiſco congregatis ob excommunicatio-
nem latam aduerſus Lauardinum Galliæ Lega-
tum, concepta eſt appellatio ad futurum Conci-
B lium, Sal. Anno 1687. Inſuper quod turbas mi-
ſcere accuſaretur in Pannoniis aduerſus Cæſarem
arma ferentem contra Turcas, ſacrum fœdus fo-
uente Innoc. XI. quibus non obſtantibus, mortuo
Innocentio XI. & in Pōtificem aſſumpto Petro Ot-
thobono nomine Alex. VIII. Romam venit confi-
denter, quòd in exaltatione Alex. VIII. Galli con-
uenisſent, cuius gratiam ciuili politia, moribuſq.
ſe accomodans Romanis, prometitus Cardi-
nalis aſſumitur *tit. S. Caliſti*, Die 13. Feb.
1690. Congregationibus adſcriptus Status Regul.
Viſitat. Apo. Signaturę, Gratiæ, Rituum; Propa-
gandę: quamuis in Conſiſtorio, contradicente Card.
C Coloredo (vt notauimus, *in Vita Leandri Coloredi*)
& Card. Ioſepho de Aguirre (obmuteſcentibus
cæteris, quorum plurimi cum Coloredum ad con-
tradictionem excitarēt, poſtea ęgre ferentes, quòd
Coloredo antiquiores, locus ſibi pręriperetur,
æquiuoce ſemper reſponderent, Alexander opus
habuerit, ex plenitudine poteſtatis ſilentium im-
ponere, atq; in ſubſidium, retractationē exponere
corū, quę à Fourbino in comitijs Epiſcoporum, cō-
tra auctoritatē Pontificiam geſta fuerant. Cardi-
nalis aſſumptus ea prudentia ſe geſſit, vt non ſolum
pręteritorum culpas deluerit; ſed eum amorem,
exiſtimationem ſibi, Galliceq. nationi concilia-
D uerit, vt ſedentibus Alex. VIII. & Innocentio XII.
origine Hiſpano, natu Neapolitano, Coronę Hiſ-
panę deuoto, Archiepiſcopo olim Neapolitano,
controuerſię omnes inter Gallos, Aulamq. Roma-
nam cōpoſitę iacerent. *Tuſiano* interprete pręconi-
zati namq. Epiſcopi; diſſidia alia pręterita, vel ne-
glecta. Comitiis adfuit Innoc. XII. Clem. XI. in
quibus voto numqam fruſtratus, promouit, quem
collimauit.

9. Do-

pia ex qua cū lacte ſpiritū imbibit deuotionis. Tantis natalibus fultus Religionem ſequutus, alterius Aloyſij Homodæi S. R. E. Cardinalis chariſmata æmulatus, Romam venit Apo. Protonotarius ex numero Participantium, poſtea Clericus iode Præſes Cameræ Apoſtolicæ, quod in munere, morum ingenuitate, gratiam promeritus Alex. VIII. R. P. die 13. Feb. 1690. ab eodem Alex. VIII. Diaconus Card. aſſumitur *S. Maria in Porticu*, Congregationi adſcriptus ſacræ Conſultæ, Fabricæ S. Petri, Rituum, Annonæ, Aquarum, Paludum, Boni Regiminis. Comitis adfuit Ionocentij XII. Clementis XI. Romæ ſedet Diaconus Cardinalis A adhuc ſacris non ioitiatus, Fortuna proſpera, vel aduerſa petitus, ea ſemper præteritā, & ſeipſo ſuperior comitia creandi noui Pontificis liber ingreſſus, iurauit io verbo iuſtitiæ, noo Gallus, non Hiſpanus, nepoti ipſi Creatoris ſui minime obſtrictus, eò declinauit, vbi credidit adeſſe Spiritum Sanctum. In amicorum conſuetudine placidus, affabilis, argutus, eruditus ſcientiarum conuiuia non declinat, ſalibus aſpergit ſapientiæ, eloquio facundus, ingenio fæcundus, officio nulli cedit.

Inſignia gentilitia diuerſimodè eum exhibeantur ob multiplicitatem paternę ac fraternę iuriſdictionis; B Leonem ego eum *Petra Sancta. De Teſſeris Gentilitijs*, *p.* 340. exhibeo aureum in modum baltei, tercyano vitatum io parmula muricata.

12. *Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.* 83. Pſal.



CArolus Biechius patria Seneſis Hetruſcus, nepos Alexandri Bichij Card. S. R. E. qui regnante Vrbaoo VIII. cum arcana teneret Regis Chriſtianiſſimi, interpres pacis apud Italos, quietem reſtituit, & Venetam Rempublicam Pontifici C reconciliauit, In lucem editus Carolus die 6. Maij Sal. Anno 1639. aris nomeo dedit Numine impellente ſuperno. Romam propterea venit vt tyrociniū religionis abſolueret & virtutis, nec ſine fruge; poſt varios namq. cancellos, Auditor factus Cameræ Apoſtolicæ, Orbem ſuſtinuit irruentem poſtulationibus iuſtis atq. iniuſtis, Æquus tamen omnibus etiam ſi audiret, oec exaudiret. Die 13. Februarij 1690. Diaconus Cardinalis *S. Agatha* aſſumptus ab Alex. VIII. Congregationibus adfuit Sacræ Conſultæ, Immunitatis Eccleſiaſticæ, Controuerſiarum, Status Regularium, Viſitationis Apoſtolicæ, Boni Regiminis, Reipublicę D ſemper iotentus. Comitijs adfuit Innocentij XII. & Clementis XI. ab omnibus cultus & obſeruatus ob Iuriſprudentiam, quam plene poſſidet in gradu eminenti, & morum integritatem, vt eum nec tentare quis audeat, licet *Xenia & dona excęcent oculos iudicum, & quaſi mutus in ore auertit correptiones eorum* 20. *Eccleſ.* 31. Vere de eo Iob *Iuſtificationem meam, quam cepi, tenere non deſeram: neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* 27. *Iob.* 6.

13. *Magiſter, dic nobis; licet cenſum dare Cæſari, an non? Cognita autem Ieſus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis Hypocritæ? oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerant ei denarium. Et ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo* 22, Matthæi 19.



IOſeph Renatus Imperialis nepos Imperialis Card. S. R. E. Ferentani (Oppidum hoc Aprutij in regno Neapolitano) a matre Orbi exponitur die 26. Aprilis Sal. Anno 1651. poſt ſtudia in patria abſoluta præcipue Iuriſprudentiæ, qua fulget, ad eccleſiam tranſijt Clericus dictus Cameręe Apoſtolicæ, ſedente Clemente X. quo ſibi viam ſtrauit regnante Innocentio XI. vt officium manciſceretur Apoſtolici Theſaurarij, ab Alexaodro vero VIII. die 13. Februarij 1690. Diaconus aſſumeretur Cardinalis *S. Georgij*. Congregationibus adſcriptus Tridentini Concilij, Sacræ Coofultæ, Aonooæ præfectus Congregationi Boni Regiminis, poſtea Ferrarienſis Legatus eodēq. tēpore eiuſdē ciuitatis commendatus Epiſcopus Princeps & Paſtor pietatem, religionem, ſcientiam ſecum duxit, quibus oues dirigeret in caulā Domini, magnanimitatem, propenſionem omnibus beneficieodi, iuſtitiam commutatiuam atq. diſtributiuam, qua & ſuum cuique redderet, & prēmia ac pęnas iuxta merita diſtribueret. Natus ad imperium muoera nunquam reſpexit, vel perſonas, Reipublicæ totus iotentus vias publicas marmore ſtrauit, cloacas purgauit, aquas ſtagnantes mouit, quibus aerem mious nociuum reſtituit; Annona populum, largitionibus pauperes, muneribus ſtudioſos, cunctos vigilantia pellexit eo tempore, quo per Italiam militè irruente Germano, conterminis populis egeſtate, timore preſſis pro viribus accurrit auxiliator. Hinc a iudice Sapientum [publicus hic Ferrarię Magiſtratus] inſcriptione donatus lapidea, quę poſteris perennet in exemplum. Vectigalia, gabellas quibus ſubditi a miniſtris angariabantur, ſuſtulit, antiquauit abſq. tamen ærarij præiudicio, ampliatis publicanorum contributionibus, vt in vtilitatem publicam fructus deriuarent telonii. Antiqua hæc hominum querela; Iudicis rigorem inſimulat vel iniuſtitiam; qui vel ab vſurpatis ſecedere cogitur; vel in iudicio ſuccubuit. Comitiis adfuit Innoc. XII. & Clementis XI. in hoc vere clementiā, in illo innocentiam prenſando, quas ſecum ducit auxiliatrices regiminis Eccleſiaſtici. Literararum amator Collegium reſtituit Albertinū pro inſtructione nobilium, quod claoſum iacebat & ſepultū. Geſta ſua coronauit tutela iuris Eccleſiaſtici, in qua a Principibus contermiois dicitur exceſſiſſe. Decimas namque, quæ Principibus ſoluuntur, tanquam iure naturæ debitas non dandas, ſed reſtituendas Chriſtus Phariſæis impoſuit.

Aquilam omnino atram bicipitem habet in valuulo ſcuti aureo, ſed eum noſtris, & cruribus puniceis; teſte Petra ſancta de Teſseris gentilitiis p. 400.

14. *Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur: ibiq. renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem luſtrans vniuerſa.*
1. Eccleſ. 5.



IAcobus Cantelmus Neapolitanus Fabritij filius Ducis de Popoli, ac Beatricis Branciç Orbi datur die 13. Iunij. Sal. Anno 1645, natalibus clarus, recto deſcendens a Regibus Scotiæ, teſtimonium ſuffragante Carolo II. Britanniæ Rege, diplomate ſuo: nec non Carolo II. Hiſpaniarum Rege. Neapolim Gens iſta venit cum Carolo primo Angioino Prouinciæ Comite, Sal. Anno 1226. a quo Iacobus Cantelmus cum in expugnatione vtriuſq. Siciliç ſtrçnuè arma tractaſſet, in Aprutio, Comitatu donatus qui *de Popoli* Italicè appellatus nunc Ducatus titulo inſignitur, in deſcendentes trāſmiſſus, memoriam inſtaurat *Roſtaini* Cantelmi *Senatoris Romani* (dignitas hęc Regibus dari ſolita Cypri, Pannoniæ, ac vtriuſq. Siciliæ) *Ioannis Cantelmi* Neapolitani Proregis, ſedente Roberto V. Siciliæ Rege; *Berlingerij* Cantelmi, Regij Theſaurarij ſub Rege Ladislao; *Roſtaini Cantelmi* Senatoris Romani, atq. caſtrorum Præfecti aduerſus Columnenſes ſedente Eugenio IV. R. P. *Roſtaini Cantelmi* Ciamberlani Regis Aragonum Ferdinandi I. Andreç Cantelmi armorum Generalis, ac Proregis Nauarrçi ſub Philippo IV.

Romam venit Iacobus coadiuuante Franciſco Cardinali Barberino, domumq. conduxit in *Campitelli*, iuxta Palatium Benedicti Cardinalis Odeſcalchi, qui ex feneſtra domum introſpiciens Cantelmi, & in ea iuuenem ad Cleantis lucernam libros reuoluere, & ſtudiis intemperanter incumbere, albo ſignauit lapillo, aſſumptuſq. in Romanum Pontificem nomine Innocentij XI. Abbatia donauit prædiuite S. Antonij, in Regno Neapolitano, Inquiſitorem miſit ad Melitenſes, poſtea Nuntiū ad Rhetos & Heluetios, inde ad Sarmatas, vt Regem Ioannem excitaret, arma vrgeret in Barbaros; ibi, cum Tuſſano Ianſone de Fourbin ibidem Gallico oratore, Cardinali futuro S. R. E. non ſemper conuenit Zelotypus, Gallica remora marceſcere Sarmatas. Nuntius tandem Extraordinarius pro coronatione Romanorum Regis, Auguſtam aſcendit, quo accedere Bonuiſius Nuntius Ordinarius prohibebatur ex Ceremoniali, quia Cardinalis ob locum praecedentiæ cum Electoribus Imperii. Mortuo Innocentio XI. eius ſucceſſor Alexan. VIII. in promotione Cardinalium facta die 13. Februarij Sal. Anno 1690. laboribus, meritis peculiaris Iacobi Cantelmi, promotionem exornare duxit, Presbyteris Cardinalibus adſcribendo Cantelmum tit. *SS. Marcellini & Petri*. Legatum etiam dixit Vrbini Ducatis, & Archiepiſcopum Capuanum, vbi Pontifici acceptus, populo gratus, morte audita Alexandri VIII. promotoris ſui, Romam venit ad comi-
B tia, in quibus, cum omnē mouiſſet lapidē pro exaltatione Antonii Pignatelli in Romanum Pontificem nomine Innocentii XII. ab eodem Archiepiſcopus eligitur Neapolitanus, in quo vigilantia paſtorali, omnibus omnia factus, orphanos, viduas cuſtodit tutor, pauperes, inopes auro, eleemoſinis ſubleuat, errantes diſciplina corrigit, ſtudioſos dignitatibus excitat, Sanctimoniales exemplo prouocat; *nec eſt* (dicam cum Pſalmiſta 18. n. 7.) *qui ſe*
C *abſcondat a calore eius*. Titan ipſe in medio diæceſis occidat vel oriatur, cuncta luſtrat & neminem pertranſit *ſine calore & amoris influxu*. Conciliator pacis, cum Inquiſitorem S. S. Inquiſitionis ciues ſecedere voluiſſent; tribunalis ipſe director Archiepiſcopus vigilauit ad fores quotidie Leone ſuo gentilitio, de quo Iſaias 21. n. 6. *Et clamauit Leo: ſuper ſpeculam Domini, ego ſum, ſtans iugiter per diem:*
D *& ſuper cuſtodiam meam ego ſum: ſtans totis noctibus*. Geminas Neapoli celebrauit Synodos, diœceſanam, & Prouincialem quæ ab Anno 200. deſiderabatur. Comitiis adfuit Clementis XI. Eccleſiæ ſuæ nunc reſtitutus *cunctis ſuperuolat vnus*.

CLE-

CLEMENTI XI.
ROMANO PONTIFICI.
CHRISTI VICARIO.

ROtis innixum quatuor Currum duco, SANCTISSIME PONTIFEX, quem pinxit Ezechiel, in quo auriga Cherubim, Homine, Leone, Aquila, tota fulget Eccleſia. *In quarto facies Aquilæ,* Ioannis 10. Ezech. 14.
ſcilicet Aquila Euangelica, *& Scriba velox* (non)
in lege Moyſis, ſed Chriſti. Pro Dei olim, nunc 1. Eſdre. 7. n. 6.
Dei Pro Deus, *Currus Iſrael, & Auriga eius* ſupra 4. Reg. 2. n. 12.
pectus Domini, in cęna recumbens *annuntias nobis vitam ęternam. Vere doctor Gentium in fide & veritate* Io. 1. 1. Timoth. 2.
Librum aperis ſcriptum intus & foris; vnde cum
ſtupore *audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram, in* Act. 2.
qua nati ſumus, aduenæ Romani, Cretes & Arabes audiuimus loquentem magnalia Dei. Ad te veniunt in cur- Pſal. 67.
ribus decem millia lętantium *& Dominus cum eis in*
Sina, in Sancto. Montem conſcendo *excelſum cer-* Pſal. 103.
uis, petram refugium Herinaceis. Domine,
quis *habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet* in
Monte *ſancto tuo?* Magnarum alarum Aquila Pſal. 14.
grandis *Alexandri VIII. venit ad Libanum, & tulit me-* Ezech. 17.
dullam cedri, Albanum ſeligens filium dilectum, Pſal. 28.
& filium Vnicornium. Stella deſuper *ſplendida Matu-*
tina in medio nebulę, aulę inſtabilis, & infidę, in qua
Cuncta mouentur.

animal: oc fatum ſuum adeò diligit, vt mori malit, quàm viuum amittere 50. Eccl. n. 6.

Nulla tamen lumen Tui vmbra viciſſitudinis
inter-

Io. 1. intercidit. *Et tenebrę eam non comprębenderunt*. Non otioſa lucens, ipſis patet ingratis; Reuoluta fęcundans poſt aurum non abit, Solem ſequitur Iuſtitię, à quo, mutuato lumine fulgens, corda reficit, crimina corrigit, Phębo nitens deficiente ardorem mitigat & rigorem ſyderis ſu-
Pſal. 67. perioris. Hoc fretus lumine *Montem* conſcendo, *in quo beneplacitum eſt Deo, habitare in eo*. Volumina defero in holocauſtum igne abſumenda, ni *Clementia* protegat, & Oratio non pręſumat. Cardines in eis Orbis terrarum, Montes. *Fundamen-*
Pſal. 86. *ta eius in montibus Sanctis: Montes in circuitu eius*. Tu Dominus in circuitu populi aduenam ab alto reſpice, peregrinum ſuſcipe; hoc enim voto
Sap. 3. *Stellę in arundineto diſcurrunt; & firmamentum terræ in*
Pſal. 17. *ſummis Montium*. Ne obliquè declinem; *Diſciplina Tua ipſa me docebit.* Directorem namq. Correctorem, Iudicem *Te* adoro nouiſſime, vt cum Pau-
3. Ad Tit. lo ad Titum, *Quæ deſunt, corrigas*. Sub Tua namq. correctione ſeruus & humilis, ſub Clementia filius, pedum oſculum delibabo, & cum obſequio perenni, ad ſolium prouolutus, tanti Pontificis patrocinio tumidus, abſque tamen faſtu faſtos maiores parabo.

Ioannes Palatius.

INNOCENTIVS XII.

P. R. CCXLIV.



INnocentius XII. Eligitur Salutis Anno 1691. die 12. Iulij. Obiit die XXVII. Septemb. Salutis Anno 1700. cum ſediſset Annos IX. Menſes. 2. Dies XVI.

Ægredere de terra tua, & cognatione tua, & de Domo patris tui, veni in terram, quam monſtrabo tibi, & faciam te in gentem magnam, & benedicam 12. *Genes.* Suſpice Cælum, & numera ſtellas, ſi potes: ſic erit ſemen tuum. *Geneſ.* 15. Patriam, patrem, cognationem paſtor obliuiſci debet Eccleſiæ; ne in gratiam familiæ perdat Rempublicam. Regula hæc Innocentij XII. quando abiurauit Nepotiſmum; toto Pontificatu, oblitus ſanguinem ſolam virtutem cupiens amicam, agnatos quamuis haberet atq: cognatos, neminem promouit eorum, ne vim faceret dignitati. Pontifex enim non fuiſſet, ſi familiam oblitus non eſſet & ſanguinem. Deus namque vt Abraham exaltaret, & magnum faceret, de familia educit, & Domo extrait paterna. Eccleſia Virgo mater fratres non agnoſcit & filios, niſi eos, qui faciunt voluntatem Dei. Hi filij & fratres mei ſunt, aiebat Chriſtus.

ELO-

E L O G I V M.

Anni Salutis 16.

ANtonius 1 hic iacet Pignarellus.
Nomina ſileot parentum: quia vix habuit, aut neſciuit,
Ante purpuram ne cognomine careret;

Cognomento Angelus.

Angeli 2 impoſuere ſuum.
Adeptus thiaram, nomen aſſumpſit Innocentii 3 XII.
Vt ſi non eſſet, fieret.
Numerum complet Duodenarium;
Vt Zodiacum expleret Eccleſiæ.
Per Legationes Cardinem ſcandit purpureum;
Ea enim ſemita, per quam Chriſtus fecit Apoſtolos,
Ferens in ſinu pacem;
Eius in oſculo expirauit.

Papa dictus ſtemmata gentilitium appendit inuerſè.

ProDeus dictus teſſeras gentilitias appendit inuerſè 4:
Familiam exuens & ſanguinem.
Agnatos non reſpiciens neq. Cognatos, & ſolus eſſet;
Domum Iuſtitiæ aperuit & Religioni.
Prima cura de Venerabili 5 Sacramento:
Vt ea deuotione deſcenderet ad Infirmos;
Quæ in genua prouocaret etiam Hæreticos.
Armenos, Æthiopes, Indos, Syros, nouoſq: populos
Miſſis 6 adiit, & audiit Legatis,
Myrrha, incenſo onuſtis & auro.

Diſſidia componit Poloniæ.

Sarmatas, qui Lutheranum in Regem aſſumpſerant,
Corripuit leniter:
Lutheranos Fidem docendo Catholicam;
Et citra cruorem *Auguſtum* 7 *Saxoniæ Ducem*
Regem aſſerendo Poloniæ.
Iuſtitiæ cum excidiſſet columnas ſeptem;
8 Super eas ſtruxit *Curiam Innocentianam*
Aperto ſemper ad Principem aditu,
Quo in labore Requies.
Soror ibi recepta Tonantis,
Quæ Cælo pulſa locum pellicibus dederat.
Iuſtitiæ profugæ ſola *Innocentia* occurrit ſine timore,
Mutuo cum conueniſſent oſculo pacis:
Æquatis in foro ſupra nonaginta ſubſelijs,
In quibus ordo erat, ordinem non ſeruare
Et nugas venire venire Curialium;
Iuſtitiam locauit in throno Innocentiæ:
Cuncta ſub pæna & præmio, ſed ſine pretio.

Clericatus Cameræ prohibet pretio dari.

Hinc Clericis 9 Cameralibus pecuniam reſtituit;
Vt ſimul eſſent Camerales, & Apoſtolici:
Gratisq. daret gratis recepta.
Galliarum 10 Eccleſijs eos præfecit Paſtores;
Qui Deo darent quæ Dei: quæ Cæſaris, Cæſari:
Comitijs damnatis Regaliſtarum,
Ne Imperio Sacerdotium ſeruiret:
Vel in Sacerdotium ſæuiret Imperium.

Nouos Quietiſtas damnat.

Damnata nouatum 11 opinionum audacia;
Contremuit auditis ijs,
Qui filium Virginis tractabant vt filium Veneris.
Dignitatibus ſolo meritorum ſuffragio diſtributis,
Vocauit ad purpuram ex aſceterio 12 Monachos:

Monachos creat Cardinales.

Ingenia vt regeret, non tantum corpora:
Diſci voluit non doceri
Mundi Dominus & Magiſter.

In

Iu eam calamitatem cum declinaſſent Romani,
Vt ab vltima Thule veſtiaria quærerent;
Reſtituto Laniſicio 13 pudenda operuit.
Annonę 14 cenſu remiſso, vectigalibus moderatis,
Panem dedit ad ſaturitatem.
Cum populo liberalis, cum Principibus 15 prodigus,
Illis pręſentes; iſtis diuitias donauit etiam futuras.
Regibus non aliter Pontifex ſupereſſet.
Regnicolis 16 etiam conſuluit Epiſcopis:
Ne viui penſionibus grauarentur, & mortui ſpolio.
Iudæis 17 ipſis Princeps adfuit, ſi non Pontifex
Camerali diminuto Tributo.
Hac eſt virtus Calorum; lędi, & benefacere.
De ſotis eum eſſent, & oues errantes, tulit in humeros
Iugoſuaul, onere leui.
Vere Principatus ſuper humerum eius.
Ditio tota Romana 18 ſemitis, fontib. ędificiis, Aquæductis
Strata, irrigata, reſtituta
Morti iam proxima reuixit.
Paupertas 19 ipſa ne ſine maieſtate recurreret
Terno excepta palatio, in quo hoſpitarentur
Sacerdotes, Inualidi cum minoribus & iuuenta.
Telonia, ſi quæ probauit;
Vectigalium pretium pauperibus erogauit;
Vt miſerabiles pueri corpore inſtituerentur & animo.
Firmamentum tandem poſuit in Aquis
Tot enim prodigia, quot Infero Mari 20 inſtaurati Portus:
Litus CentumCellenſe natura amarum dulcorauit induſtria.
Et puteos effodit in Mari.
Fortunæ quondam Fano peruulgatum Antium
Olim nauigantibus portus, nunc Spectrum & Antrum
Firmius munitum aduerſus fluctus; Atyehia ſpernitur;
Dum Venti obediunt & Maria.
Romà relictà, Octogenario maior Antium deſcendit,
Artifices ad laborem prouocaturus exemplo.
Sic Deus ſcalam Iacob humeris fulciebat ruentem.
Minori prodigio, vel miraculo
Anathema non Indicitur Nepotiſmo 22
Ex Eccleſiæ theſauris 23 incluſo Millione Coronatorum in arce S.Angeli,
Qui eos cuſtodiret aduerſus homines.
Obiit, vt mori ſolent Sancti
Virginitate 24 ſeruata vſq. ad ſepulchrum.
Anno expirauit Iubilæi 25
Quem aperuit, non clauſit, nè pręcluderet indulgentiam.
Humili 26 quieſcit ſepulchro, quod ſibi viuens poſuit:
Nuda namq. cubat Innocentia viua, vel mortua.

Ædificia ab eo erecta.

Anto-

Natalia. 1. ANtonius Pignatellus qui in ſacro lauacro Carolus Hiacyntus Aloyſius Franciſcus, Ioſeph, Antonius appellatus; Antonij retento nomine, die naſcitur 15. Martii 1615. in Baſilicata regni Neapolitani prouincia, Spinazzolę (Feudum hæc Pignatellæ Domus) ex Pignatello Mineruini principe &.... Caraffa Andrię Ducum filia, Romam miſſus vt in Collegio Romano Muſas quæreret ob eximiam corporis pulchritudinem, ac morum candorem.

2. *Angelus* dicebatur, quo cognomine, iuxta morum candorem ſemper illibate ſeruato, Virgo creditur obiiſſe: vnde de (Angelus dictus.) eo vti de Traiano Plinius: *Nullum eſt Pulchrius Dei munus erga mortales, quàm caſtus & ſanctus, & Deo ſimillimus Princeps*. Ampla quidem fronte, corpore procero & valido, nigris ſcintillantibus oculis, ore feſtiuo ſed modeſto & officioſo in amicitiam & venerationem eum aduenas etiam ſibi conciliaret, abſolutis ſcientiarum ſtudiis, Anno B ætatis vigeſimo, ſedente Vrbano VIII. Tyria indutus talari Vrbinum legatus abiit, gradatim Melitenſis Inquiſitor, Viterbii Gubernator totiuſq. Patrimonii vbique benè audiit; Irrequietus enim & indefeſſus ciuitates peluſtrans, omnia videbat, prouidebat, magna eſſent vel parua. Hic Nuntius ad Hetruſcos, ſedente Alex. VII. Legatus ad Sarmatas, regnante Clemente IX. ad Cæſarem, a Clemente X. Epiſcopus Aletii in agro Hydruntino, ab eodem Pontifice à ſecretis aſſumptus Congregationis Epiſcoporum & Regularium, cubiculo præ- C poſitus Pontificio, in eodem munere confirmatus ab Innoc. XI. tandem Presb. Card. die 1. Septembris 1681. & Epiſcopus Fauentinus, paulo poſt Bononienſis Legatus, & ad Archiepiſcopatum translatus Neapolitanum, cum Annos quinque ſupra quinquaginta inſumpſiſset in obſequium Sedis Apoſtolicæ, *tranſiuit ſemper per ignem & aquam*.

Labores omnes otio ducens iucundiores, iuxta illud Xenofontis *l. 1. de dictis & Factis Socratis. Tantum laboris, quantum animus libenter ſuſcipit exequendum eſſe dicebat*. D

3. *Innocentij XII.* In Pontificem exaltatus Romanum die 12. Iulij 1691. nomen aſ- (Innocentius cur appellatus.) ſumpſit *Innocentij XII.* vt memoriam excitaret Innocentii XI. ſui promotoris, & nomen ſibi imponeret, quod ſtimulus eſset virtutis. Deo ſoli attentus, & Sedis Apoſt. exaltationi nõniſi ſubditorum ſolatium cogitabat, pauperibus benefaciendo; Xenodochia erigendo, Artifices reſtituendo, mores reformando, Eccleſiarum honori & immunitati proſpiciendo, Miſſionarios pro Euangelii prædicatione ad Indos, Ethiopes, mittendo.

Iure de eo, quod de ſeipſo Apoſtolus 24. Act. 17. *Poſt Annos plures, eleemoſinas facturus in gentem meam veni*: & 15. Rom. 25. *Nunc proficiſcor Hieruſalem miniſtrare Sanctis*: & 2. ad Galat. 10. *Tantum vt pauperum memores eſſemus, quod etiam ſollicitus fui, hoc ipſum facere*. & 2. Cor. 12. n. 14. *Non debent filij parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs*. A *Ego autem libentiſſime impendam*.

Patiens in auſcultando, quemadmodum pauperes, diuites, plebeos, nobiles, ſæculares, Clericos, vna terra ſupportat; (Opera iuſtitię, pietatis.) ita Innocentius omnes æquè reſpiciens, cunctorumq. conditionem in agro Romano ſollicitè perquirens, omnibusq. proſpiciens, lucebat, fouebat, exaltabat.

Concordat nummiſma, in quo Petrus Apoſtolorum Princeps, & Cęlorum clauiger



ger vigilat ad Eccleſiæ cuſtodiam, ſub lemmate, *Vigilat, qui cuſtodit eam*.

C 4. *Inuerſe*. Humanitatem exutus, vt (Stemma gentilitium ordine ſculpit inuerſo.) ProDeum induiſſe teſtaretur, in Papam aſſumptus in exciſione nummiſmatum, inſignia gentilitia inuerſo ordine ſculpi mandauit, teſtatum volens, familiæ oblitum & ſanguinis, adiecto lemmate, *Nihil pro nobis*.



Aliud etiam recurrit nummiſma, in quo Pietas ſpargens aurum ſub lemmate; *A Deo*

& Pro

Pru Deo.

Prima cura de Venerabili.

5. *De Venerabili Sacramento* prima cura, qua deuotione, pompa, pietate per Parochum, eiuium comitante caterua deſerretur ad Infirmos: vnde in primo ſtylobata tumuli honorarii inſcriptum ad gloriam defuncti Pontificis: *Sanctiſſimi Viatici cultu amplificatu*. Cuius pietatis ęmuli Cardinales, ſinguli in ſua parochia non defuere lampadibus & intortitiis, præcipue Petrus Card. Otthobonus, qui tam in expoſitione Venerabilis per horas 40. io ſua titulari eccleſia, quàm cum ſacrum Viaticum infirmis A deſertur, pompa eccleſiaſtica omnibus longe antecellit: plaudentibus ipſis Hęreſiarchis, quorum plorimi corpore victi & animo, in genua prouoluti, ſub ſpetie panis & vini, verum Deum, vetum hominem, adorauete.

Miſſionarios legat,

6. *Armenos, Ethiopes, Indos, ſynas, nouoſq. populos* atq. innauditas nationes per Miſſionarioseonuenir, vt lumen in eis accenderet Euangelii, in opus tam ſaluberrimum profuſis centum & quioquaginta millibus aureorum: vnde in ſecundo ſtylobata tumuli honorarij inſcriptum; *Religione in Æthiopiam & Americam propagata*.

Sarmatas componit.

Saxoniæ Ducem ad fidem vocat Catholicam.

7. *Auguſtum Saxoniæ Ducem*. Mortuo Io: III. Poloniæ Rege, diſcordia illico obruti Sarmatæ, cum alii Auguſtum Saxoniæ Ducem, alii fratrem promouerent Ludouici XIV. Francorum Regis, alii filium Regis defuncti, tanto rumore, vt ad Turcas etiam declinaturi viderentur, qui ſpetie libertatis, diſſidia fouebant. Religionem ac patriæ libertatem propugnare videbatnr Michael Stephanus Radzielouuſcki Lituaniæ Primas, atq. Geſnenſis Archiep. Card. S.R.E. ab Innoc. XI. contra Auguſtum II. Saxoniæ C Ducem, qui quadraginta armatorum millibus ſtipatus irrepſerat intra fines Poloniæ, vnde Palatini quãuis & ipſi armati difficillimè popellere valerent irruentem. Lis decidenda gladio, & bello pluſquàm eiuili in prociotu erat; cum SS. Pontifex Innocentius XII. in Rempublicam Polonam affectu pronus vere paterno, lumine accedens Euangelico, poſt tenebras tam diuturnas, perire volentibus Sol illuxit, Saxooem ad fidem prouocando CatholicoRomanam. Rem egit Paulucius Ep. Ferrarienſis ad Sarmatas Nuntius Extraordinarius. Nec D deſuit Saxo ad veritatem inclinatus Catholicam, abiurando Lutherum eum erroribus Suis, ae Romanum Pontificem in Chriſti Vicarium, & legitimum agnoſcendo Petri ſuceeſſorem, quo pax coaluit abſq. detrimento libertatis Polonæ, & incremento fidei Catholicæ.

Lege vitam Paulucij Cardinalis ſub Innocentio XII. & Michaelis Stephani Radzieiouuſcki, ſub Innocentio X I.

Curiam erigit Innocentianam.

8. *Curia Innocentiana*. Iuris autem reddendi forma probe conſtituta cum eo maxime pertineat, vt ſerta tectaq. maneat pubica vtilitas legibus optime diſtributis, iudicibus recte deſignatis, ordine iudiciorum breuiter abſoluto, expenſis ad menſuram conſtrictis, ne eorum oocre grauati pauperes detereantur litigantes; viros ſelegit integerrimos, Iuſtitiæ ſacram ædem extruxit, in qua iudiciorum agi cępta longè pars maxima, quæ priuatis domibus, diffitiſq. admodum inter ſe locis, magno patronorum incomodò, nec minore proinde etiam clientum impenſa conſueuerant aotea pertractari; ſuppreſſis primo nonnaginta ſeptem tribunalibus pedaneis, & inferioribus, quorum inextricabili labyrinto cauſas de vno ad aliud remittendo tribunal, graui & importabili pauperum damno, nullus erat litibus finis. Supremis verò Magiſtratibus ad vſum reſtrictis Vicarię Neapolitanæ, & in aula locatis Montis Citorij ab eo extructa, quæ *Magna* dicitur *Curia Innocentiana*, in qua Magiſtratus omnes B olim in Vrbe diſperſi, modo ibidem congregati accedentes audiunt, onere ſublato Viatici, quod Cauſidicis, Procuratoribus ſoluebatur à litigantibus, & ſupra medietatem diminutis expenſis atq. propinis. Huius ſtructuram à Plumbini Principe inchoatam, ære publico cum Innocentius paraſſet, magnifice abſoluit. Lites tamen omnes ſi amicabiliter cõponere valeret, trutinę non expoſuit. Tanti ædificij memoriam nummiſma ſeruat, in quo Curia ſub lemmate, *Iuſtitia & Pietas*.



Clericis Cameræ aurum reſtituit.

Quantum auri impenderit pro Republica.

9. *Clericis Cameræ Apoſtolicæ*, ne pretio viderentur ad purpuram admitti Cardinalitiam, pecuniam reſtituit: cuius dimidium argẽto ſignato; alterum dimidiũ eccleſiaſticis beneficijs lege edita, ne in poſterum vęnalia eſſent munera Eccleſiæ Romanæ: vnde pro redemptione officiorum Cameralium, Millionem & vigioti ſex millia Coronatorum profundere opus fuerit. Quadraginta etiam ſex millibus ſupra quatuor Ceotenna millia Coronatorum, agrum redemit Albanum, & Cameræ adſcripſit Apoſtolicæ.

Quinquies inſuper centenna millia, ac quinquaginta millia, vt decem aſſibus gabellam dimimueret moliturę.

Populus nãque ſola panis cõciliatur abundãtia; ſine quã Moyſes Hebreos proteruos & incredulos, per deſertũ non traxiſſet in terrã Promiſſionis: licet ingratus quandoq. Manna nauſearet quaſi cibo leuiſſimo. Chriſtus ipſe, vt Principes edoceret, ne turbas dimitterent famelicas, erga populum quomodo ſe gerant, quinque panibus, & duobus piſcibus ſaturauit quinque millia diſcumbentium.

Præſules eligit Gallicanos.

10. *Galliarum Eccleſiis*, cum plures in Gallia longo iam tempore vacarent Eccleſiæ Cathedrales graui animarum detrimento, ob diſſidia *de Regalia*, quæ ſub Pontificatu Innocentij XI. & Alex. VIII. fatigarunt Eccleſiam Romanam; Innocentius XII. vt pacem firmaret exemplo, & Principum concordiam ſollicitaret, eccleſias decreuit implere vacantes, decreto ſequenti:

INNOCENTIVS XII.

Venerabiles fratres. Tamdiù eſt, quod plurimas florentiſſimi Galliæ Regni Eccleſias Paſtoribus viduatas intimo cordis affectu miſeremur; ex quo verò Diuinæ bonitati placuit ad præexcelſum hoc Apoſtolici muneris culmen, & ad ſollicitudinem omnium Eccleſiaſticorum humilitatem noſtram vocare, deplorabili ſanè tot animarum periculo conſulere dies, noctesque aſſiduè cogitauimus. Tandem cum prò grauiſſima rerum, ac temporum difficultate non alia ęquior hactenus occurrerit ratio huic proſpiciendi neceſſitati, de Complurium Fraternitatum veſtrarum conſilio, in eam ſententiam iuimus, vt ex eorum numero, quos nobis Chariſſimus in Chriſto filius noſter Ludouicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus nominauit, illos dumtaxat, qui ſatis notis Cleri Gallicani Comitijs anno 1682. habitis non interfuere, nec ibi geſtis, meritò ab hac S. Sede reprobatis, vllatenus aſsenſere; quosq. non modo ab hac labe immunes, ſed & alioquin idoneos legitimis documentis fore conſtiterit, ad Eccleſiarum regimen admitteremus.

At verò quoniam aliqui eorum ijs Eccleſijs præficiendi erunt, quibus ipſius D Regaliæ onus, non ità pridem inuectum fuit; ne vlla vnquam ex hac noſtra nominatorum admiſſione ſuſpicio oriri poſſit; probatę à nobis, ſeu diſſimulatæ ſaltem eiuſdem Regaliæ ſeruitutis ijs omnibus, qui præfatis Eccleſijs, quæ huiuſmodi oneri obnoxiæ verè non ſunt, pręficientur: Pro commiſſi nobis Paſtoralis Officij debito noſtræ non minus, quam ipſorum Conſcientię conſulentes ſeriò iniungemus, vt memores Sanctionis Oecumenici Concilij Lugdunenſis, pænarumq. ab eo inflictarum, ipſi Regalię nullatenus conſentiant, ſed ab ijs omnibus abſtineant, vnde illius vſus admiſsus quoquomodo videri poſſit, donec plenius grauiſſima hac de re Iudicium ad Apoſtolicam Sedem ſuo Iure pertinens, & legitima inſuper nonnullorum appellatione delatum, quod nobis integrum reſeruamus, ſuo tempore, ſi opus fuerit; proferatur.

Cęterum de eximia eiuſdem Chriſtianiſ- A ſimi Regis pietate, filialiq. in hanc ſanctam Sedem obſeruantia plenè confidimus ipſum facturum, vt quemadmodum pluries ſperare nos fecit, Regium Edictum, quo in pręfatis comitijs edita de poteſtate Eccleſię declaratio firmabatur, viribus, & effectu vacua reipſa ab omninus habeatur: noſtræq. erga maieſtatem ſuam paternæ Charitati, quinimmo, & cauſę ipſius Iuſtitiæ daturum, vt nihil nobis in poſterum, quoad vniuerſum Regalię negotium, deſiderandum ſuperſit, qua de rè ipſum hortari, admonere, atque etiam in Domino obſecrare non deſi- B ſtemus.

Quę omnia vobis in primis (Venerabiles Fratres) innoteſcere, dignum duximus, qui tanto Religionis ardore, ac pietatis meritò humilitati noſtræ in vniuerſalis Eccleſię regimine aſſiſtitis, vt vel inde agnoſcatis, nihil nos ab Eccleſiæ libertatis, atq. huius S. ſedis authoritatis tuendę propoſito deflectere, ſed Romanorum Pontificum prędeceſſorum noſtrum, ac præcipuè felic. record. Innocentij XI. & Alexandri Octaui ſuper pręmiſſis editis litteris conſtanter inhęrere, atq. ad extremum vſq. vitę ſpiritum, C adiuuante Domino, inhęſuros, vt creditam nobis Pontificię poteſtatis plenitudinem illibatam ſeruemus, & immaculatam hæreditatem, vti à Domino accepimus, ſucceſſoribus relinquamus.

Hæc omnia S. S. Pontifex, ne vnitatem



pacem, concordiam ſcinderet in Eccleſia, quam in votis aſſumpſerat ab exordio Pontificatus, vt ex nummiſmate.

11. *Damnata nouarum opinionum audacia*, inter quas fuit quidem Fr. Paulus.

pro-

Fr. Petrus Paulus natu Romanus ex gente ignobili, moribus ignobilior quamuis profeſſione Sacerdos *Augustinianus Excalceatus*, Sal. An. 1688. Hęreſiarcha Molinos peior, nouam meditatus ſectam, qua incautos deciperet, & actus Venereos non ſolum cũ Molinos licitos faceret ob noſtram voluntatem ſalſo obrutam obedientia ſepultam, & à ſenſibus falsò ſegregatam, vt aiebat Molinos; ſed audacior vt Adonidem ſpurciſſimam Venerẽ interpretem faceret amoris impolluti ſuperni, per quem dona infunderet cęleſtia, & feruorem ſpiritus, volẽs horridę impietati laruã pietatis adducere, cępit fingere Extaſim, Raptus: ad nomen *Amoris*, ſurgebat pedes poculũ manu tenens, vel columbam aſſam aut botrum vuę, quem (*virtutem ſanctę obedientię* inſuſſurrante eius ſocio) dimittebat, cumq. voto deuotionis ſibi diuidebant commentales. Natura efformante (vt ex eius vita M.S. circumlata plaudente fama, que cum falſa latius vagatur) cũ maſſam carnis, veriùs rugas & lacertos teneret in pectore, donum fingebat vulneri ſimile, quod ſapientia inflixit Æterna B. Henrico, ac Philippo Nerio, ſtygmata ſimulãs in manibus & pedibus. Cubans cum duabus nudis fęminis, cum quibus actus exercebat impuros poſt repetita oſcula etiam erga pudenda, nudus cum nuda, deambulando, in lecto cubando, extendens ſe ſuper vnam earum, repetitis oſculis Deum rogabat, eam vellet ſtygmatizare, quemadmodum ipſe ſtygmatizatus erat. Lac in mãmillis alterius ex fęminis ſupradictis augurabat ex dono Virginis Deiparę, & hoc frequenter palpando, lambendo, deoſculando. Expoliatis mulieribus aliquãdo vuluã irridere ſimulabat, quaſi in ea mundus deſiperet. Cum vuluã deoſcularetur dictarũ fęminarum illud agere (proteſtabatur) ad honorem clauſtri virginalis. Pollutione obrutus in amplexu fœminę, *Propter amorem Dei* appellabat. Eãdem cum deoſcularetur ;ad Cęlum rapi ſimulans, *Vado* (aiebat) *vis mecum venire*. Hęc cum inhoneſtè, voluptuoſe, impudicè ſubiret, impietate horribili, aſſerebat, dona in eis cõmunicari ſuperna, licet proteſtaretur, quòd Mundus ignorantia obrutus non adprobaturus, ſed damnaturus. Impia geſta tentans falſo fulcire miraculo, laruam ſumens S. Caietani cũ lillio in manu, media nocte, interpoſiti luminis artificio Deiparam ibi confingens, cellam perſonatus ingrediens Fr. Benigni ęgrotantis, multa protulit in laudem ſui, S. Caietani perſonam ſimulans, quo mandante, Fr. Petro Paulo velut lumine irradiato cęleſti obediendum erat, & vti Magiſtro adhęrendũ; magnis laudibus ſe extollẽs, & virum ſanctiſſimum ſimulata loquela S. Caietani ſe exprimens & efformans. Quibus dictis lumen extinxit, & abijt, conciliata ſibi apud Fr. Benignum hominem ſtolidum & ineptum, ſacerdotem eiuſdem Ordinis, opinione ſanctitatis. Apparitio hęc licet falſa, vera credita à Fr. Benigno, eo rumore & ſonitu Romę publicatur, vt Vrbe tota ad ſpectaculum conueniente, cellula illa, in qua apparitio conficta, ea deuotione & frequentia in ſacellum conſacrauerint, vt ſelix crederetur, qui in ea preces fundere, vel ſacra litare permitteretur. Hinc annua ſolemnitate, repetita memoria, Apparitione ęre ſculpta, typis data, & per Orbem diſtributa; ea erat opinio ſanctitatis etiam apud bonos & graues viros de Fr. Benigno cui ſe viſibilem dediſſet Virgo Deipara: De Fr. Petro Paulo, ad cuius ſanctitatis teſtimonium ipſi ſuffragarentur ſancti, vnde eorum precibus & orationibus à Principibus diſ-
A crimina comitterentur maiora. Cateruas vidiſſes populorum, deuotionis voto benedictionẽ petere, fimbrias tangere veſtimenti, domibus excipere panem, oleum benedictioni ſubſtrare, de eo ſpargere quę de Petro & Paulo in actibus occurrunt Apoſtolicis. Tot inter laruas quibus veritas penè oppreſſa iacuit: adfuit ex alto Chriſtus via, veritas & vita menſe Maij 1698. in Vigilia Chriſti aſcendentis, Tribunal excitans SS. Inquiſitionis, vt cautè, conſtanter impios cribraret, & inquiſitione Canonica hyppocritas detegeret. Exitus acta probauit, ad meſſem cum veniſſet ſeges; poſt cautam carcerationem, quęſtio-
B ne inſtructà, conſcientiam reorum verberante impietate, libera confeſſione laruam depoſuere miraculi, ſanctitatis, ingenuè clamantes *peccauimus*; vt in abiuratione Romę publicè celebrata Menſe Decembri 1698. coram S. S. Inquiſitionis Tribunali, Roma tota ad ſpectaculum congregata. Fr. Petrus Paulus carceri traditus perpetuo, cum ſalutari pęnitentia dietim recitandi ſymbolum Apoſtolorum, Pſalmos Pęnitentiales, Roſarium ſemel in hebdomada; Feria 6. ieiunandi in pane & aqua: fręmente Innocentio XII. Pontifice religioſiſſimo & ad pęnam mortis, Patres excitãte, qui reum iam, nunc pęnitentem, reſipiſcentem
C & non relapſum excuſabant,

Fr. Benignus & ipſe natu Romanus homo ignobilis, tanquàm rudis, puſillus, gregarius ad ſeruitutem natus, ſolo nomine homo, de hęreſi vehementer ſuſpectus, Impellente Pontifice Innocentio XII. carceri traditus ad ſeptennium. Sacellum dirutum ſolo ęquatum. obliteratę Sanctorum imagines, quibus abutebantur nouatores. Confratres Auguſtiniani Excalceati quamuis innocentes, de negligentia diffamati, quòd tanto tempore hyppocritam ſuſtinuiſſent, pęnam luerunt voluntariam, ab Vrbis conſpectu ſe abſtinentes, & vigilijs, ieiunijs, diligentia maiori
D excubantes ad gregis cuſtodiam.

Damnauit Innocentius etiam librum Archiepiſcopi Cameracenſis, de quo tantæ emanauerant contentiones inter Theologos.

Damnauit eos, qui vigore Bullę *Cruciatæ*, quemcumq. Sacerdotem ſibi in Confeſſorem eligere præſumebant, licet ab Ordinario non adprobatum contra decreta Concilij Tridentini.

12. *Vocauit ad purpuram ex aſceterio mortuos*. In electione miniſtrorum & dignitatum diſtributione, quòd vitæ curſum Roma abſens in legationibus abſoluiſſet, & perſonarum cognitionem Dignitatũ diſtributio

non

non haberet, ne quãdoq. optimos prętermitteret, nonniſi diligenti inquiſitione eligebat præmiſſa; Iureconſultos magni nominis aſſumendo, quos Prælatis mediocris prætulit literaturæ. Ex aſceteriis viros graues & doctos vocauit ad purpuram, D. *Cœleſtinum Sfondratum* Benedictinum, D. Io: Marium Gabrielum, Fr. Iacobum Antonium Morigiam Clericum Regularē S. Pauli, alio nomine *Barnabitam*; Fr. *Thomam Mariam Ferrarium* Dominicanum; Fr. Henricum de Noris Auguſtinianum; aliiſq. Regularibus contulit dignitates, A quorum moribus & virtutibus Hęreticos & Sciſmaticos in ſui venerationem excitando, ab eorum pluribus colitur & adoratur.

Lanificiũ inſtituit: 13. *Lanificio reſtituto*; Cum Romæ, in qua veluti totius Imperij Principe omne genus benigne excipitur opificij, Lanificium deſideraretur: publico bono non modo rem vtilem, ſed neceſſariã vt reſtitueret, adeo incubuit, vt ingenti ſumptu Domo peraccomode cõparata atq. inſtructa, lanificis accerſitis peritiſſimis, plena ac plana imperij vtilitate erexit, poſteris erectũ tranſmiſit.

Annonã procurat; vt ſupra n. 9. 14. *Annona* ſollicitus, vt panis abundantia populum recrearet, frumenti pretium taxauit, B neq. excedere vnquam permiſit; vnde vili pretio pauperes ſibi alimenta prouideant; profuſis ſupra quinque centenna millia, quinquaginta Coronatorum millibus, vt molituræ gabellam diminueret gemino Groſſo.

Prodigus erga Principes. 15. *Cum Principibus prodigus*, vt pacifice conueniret, gratijs exuberauit: cum Gallo, Eccleſijs cõſulendo vacantibus; cum Sabaudo iura indulgendo patronatus, quæ Cameræ erant Apoſtolicæ, cum alijs expenſas donando Bullarum, quæ Petri ſunt patrimonium. Hinc cognito genio, callidè excitatis iurgijs extorſerunt, quod alias impetraturi non fuiſſent: declamante Paſquino, & C Pontificem inſimulante *Caniculam Principum, Leonem ſubditorum*: Falſo tamen, & iniuſtè. Cum enim Comes Martinizius Orator Cæſareus nimia loquendi libertate, honorem videretur oblitus, quem debent Reges Vicario Chriſti, negata audientia iracundiam non ignorare monſtrauit, ſed abſque peccato. Nimia dicitur liberalitate peccaſſe cum Principibus: non aduertendo vota fuiſſe Pontificis, animos demulcere Principum, vt pacem ſeruaret Italiæ, præcipue cum a Fęderatis ſegregato Sabaudo, in Belgium incendijs remiſſis Mauortijs, quieuit Italia milite remeante Germano, qui onerosus omnibus incubabat, D Nummiſmata habes



ſub lemmate, *Iuſtitia & Abundantia Pacis*. Alterum *Pacem donec proteruat*. Arcano cæterum ſecluſo pacis, licet cum Oratoribus Principum incedens ſuauiter numquã negaret, neſciebat tamen benignitate deludere: propterea qui primo aſpectu, ex miti Pontificis genio omnia ſibi pollicebantur; ſecundo colloquio omnia offendebant difficultatibus plena, excluſionem tertio & deſperationem. Nullum porro Principum abſq. cauſa reiecit. Popularis libertatis tenaciſſimus cuſtos, vt eam à Magnatibus ſeruaret immunem, per quinquennium, bis in menſe, publica audientia A excipiebat venientes, auſcultabat patiens, inquirebat ſollicitus, corrigebat prouidus, puniebat iuſtus, ordine ſemper ſeruato iuſtitiæ; cum omnes fere quęſtiones ad tribunalia remitteret, ea lege, vt illico iudicarentur, ſic illibatos ſeruabat iudices, & ad ſęcularia ſubſellia impediebat recurſum. Iuſtitiam verò non declinauit inexorabilis, ſi per eam vel exemplum manaret in ſubditos, vel correctio ſanaret peccantem: propterea plures Magnates, Principeſq. Romanos carceri tradidit, vt in aula Pontificis, primus eſſet iuſtitiæ locus, in quam nullum vſurpans arbitrium, ſaluo ordine iudiciario, abſq. legum iniuria, iudicibus B cuncta remiſit. Grammateorum, & Notariorum querelis præteritis etiam cum præiudicio Cameræ, plura gratis laxauit diplomata; qua munificentia & reliqui deſiderantur peccatuti Pontifices. Tres legitimi promotores Pontificatum ei pręnſaſſe dicuntur ſed aſque ambitu, eloquium breue, diſſimulatio cauta, cognitio profunda; cum enim in Congregationibus votũ exponere Cardinalis teneretur, eloquio placidus & humilis opinionem non ſententiam proferebat, pro cuius executione minimè ſollicitus neminē irritauit: dictus Papa ore tonãti miniſtros monuit, arguit, increpauit etiam cum iracundia, ſed abſq. pecca- C to. Fluxu namq. ſanguinis detumeſcente, cõuertebatur in eos placidè, & vindicta alienus. Epiſcopus, Cardinalis, vel Papa nemini arcana cordis aperuit: in arduis ſeniorum conſilia quæſiuit, & meliora ſelegit, pondere librato conſilii, non conſulentis affectu.

16. *Regnicolis etiam conſuluit Epiſcopis*, quos penſionibus liberauit, & Collectoribus ſpolijs ne viui grauarentur, vel inquietarentur mortui. Pecunia nãq. cũ ſuppellectili, quæ poſt mortē Epiſcoporũ in Regno Neapolitano, reperiebatur à Collectorib. ad hoc deſignatis, Eccl. debebatur.

17. *Iudęis* ipſis tributum remiſit Camerale, D ne onere opprimerentur importabili.

Clementia vt ad veritatem euocaret Euangelicã, nil omiſit, quo in Romano Pontifice agnoſcerent, nullam eſſe diſtinctionem Iudæi & Græci, ſed eſſe omnes vnum in Chriſto.

18. *Ditio tota Romana ſemitis, fontibus, aquęductis, ſtrata, irrigata, reſtituta*, Geminos Fontes S. Mariæ Transtyberim, & fori Montanarii in priſtinum decorem & affluentiam reſtituit.

19. *Paupertas ipſa ne ſine maieſtate recurreret, Termo excepta palatio, in quo hoſpitarentur pauperes Sacerdotes, Inualidi, cum Minoribus, & Iuuenta*. Hoſpitia namq. atq. palatium

tium Columnenſe in Burgo ad recipiendos aperuit pauperes Sacerdotes. Aliud apud S. Io: Lateranenſem pro fœminis. Aliud iuxta pontem Sixtum pro Inualidis: aliud in S. Michaele pro minoribus



ſubtus horrollogium montis Exquillini vitris clauſit & cooopęis, imagine Deiparę ſuperimpoſita Romam benedicentis: cum in toto Palatio Apoſtolico mõris Quirinalis nulla eſſet Sanctorum imago. B

Capellam cum lauacro Baptiſmali in templo erexit S. Petri Apoſtolorum Principis ex limpido marmore, & aureatis metallis: Conca Garamantica ſtylobatę porphyretico ſuperimpoſita, ęneo cooperta conopęo, imaginibus exornata.

In eadem Baſilica mauſolęum Chriſtinæ Reginæ Suecorum erexit; ſepulchrum ſibi poſuit. Plateam exornauit S. Petri; aliam aperuit in monte Ci- C torio iuxta Curiam Innocentianam. Diuerſorium iostaurauit militare: in ędibus Pontificiis, appoſitis Coronicibus aureatis prototypa incluſit Pictorum, quibus erecta Muſiua in Baſilica Principis Apoſtolorum; In Quirinali collectis pretioſis pictorum tabulis, a Cardinalibus teſtamento relictis & dona omnia etiam infimæ ſortis Cameræ aſſignauit Apoſtolicæ. Monaſterium SS. Io: & Pauli, Fratribus cum donaſſet Miſſionariis, Cappellanias à Card. Caſtaldo legato relictas eiſdem aſſignauit, qui cum iuxta Philippinas aliud compleuerint Mo- D naſterium, eò officinas omnes tranſtulit Cardinalis Vicarii: Oblatas, quæ ibidem reſidebant ad S. Luciam remittèndo. Ecclesiam cum Monaſterio S. Balbinæ Fratribus donauit Scholæ Piæ Neapolitanis: quemadmodum eccleſiam S. Clementis Dominicanis Britannis, auro omnibus ſubmiſſo non tam ad Eccleſiarum extructionem, quàm in corporum alimoniam. Fidei Propagandæ collegio adſcriptos duodecim iuuenes, qui ex Suecia abiurato Luthero fidem amplexi Catholicam, ſtipendio donauit ex redditibus, quos olim colligebat Chriſtina Suecorum Regina ex eccleſia nationali S. Brigittæ, cruce alba pectori admota, vt eos ſecerneret ab aliis collegialibus.

Ad elocandas etiam virgines hoſpitii ab eodem erecti Innocentio, dotes deſignauit collectas ex piis Coofraternitatibus præcipue Virginis Annunciatę.

Pro commoda immo voluptuoſa Septem, Eccleſiarum viſitatione, tàm intra quàm extra mænia, arbores plantauit, vt etiam medio calente Titam, vmbrole, a Solis radiis minime grauati pertranſeant peregrinantes.

Arcu deiecto Inſanorum, cũ ędibus adiacentibus, vias ſtrauit, per quas gemini currus ęque ad telonium accedant & promptuaria; artibus ad ſuas officinas congregatis, erectis ſtudiorum Accademiis præcipue ad Ripam, pro Moralium inſtructione.

Supellectilem ſuam Eccleſiis diſtribuit, Regularibus ad inſtauranda cænobia, ad reficiendas Eccleſias aurum ſubminiſtrauit.

Vitam ſi traxiſſet longiorem, ditionem totam inſtauraſſet Romanam. Epiſcopum......ab eo electum eum ad paſcendum mitteret gregem, Doctrina inſtruxit & erudiuit S. Io: Chryſoſtomi *Homil. XII. ad populum Antiochenum. Sicut apis circumvolat omnia prata, vt promptam alteri preparet menſam; ſic & tu fac* (Præſul) *ſine pe-*

cunias congreges, in alios expende, ſinè Doctrinæ verba habeas, nè defodias, ſed apponas indigentibus in medium.

Abiectum nil cogitans, deſpexit humilia, & alta à longe cognouit, in A
Deum

Semper, & à Deo cuncta cognoſcens, vt ex nummiſmate infrapoſito Abundantię & Miſericordiæ per Innocentium aſſumpto aſſequi vales.

Electionem ſuam cum in Deum referret incumbebat gratus vt omnes operationes



ſuas humano præterito faſtu in eum refunderet. B

Propterea cum dietim Pſalterium recitaret, Pſalmorum verſiculos, quibus Dauid erga Deum Creatorem, ſuum obſequium, cuſtodiam diuinæ legis, beneficiorum gratitudinem acceptorum profitebatur, in vnum collectos, recitatione abſoluta Officii Diuini, repetebar, nec vnquàm omittebat Pſalmum à ſe collectum infrapoſitum.

Retribue ſeruo tuo, viuifica me, cuſtodiam ſermones tuos.

Reuela oculos meos: conſiderabo mirabilia C
de lege tua. vſq. ad finem verſiculis adiectis cæterorum Pſalmorum, quibus vitam, animam, fortunam, a Deo, & pro Deo profitetetur. Excelſi animi Princeps legem diuinam iugum affectebat ſuaue, & onus leue.

Nulli hominum ſeruire neſciens, ſi aliquando à Magnatibus, vel Principibus tentaretur immunitatem violare Eccleſiaſticam, Neapolitano vocabulo (quod Latine *Incaſſum*) compeſcebat: cæterum vin- D
dictam inferiorum præteribat, deridebat latratus. Vere de eo, quod de Lepore iuxta Leonem.

Martialis.

Non facit ad ſævos cervix, niſi prima, leones.
Quid fugis hos dentes, ambitioſe lepus?
Scilicet à magnis ad te deſcendere tauris;
Et quæ non cernunt, frangere colla velint.

Deſperanda tibi eſt ingentis gloria Fati;
Non potes hoc tenuis præda ſub hoſte mori

Martialis *lib.* 1. *Epigram.* 52.

Sæpe ipſe cum Seneca c. 3. libro. *Quod in Sapientem* non cadat iniuria. *Nunquid dubium eſt quin certius robur ſit quod non vincitur, quàm quod non laceſſitur, cum dubię ſint vires inexpertę: vt merito certiſſima firmitas habeatur, quę omnes reſpuit incurſus &c.*

Ædificandi cupidus vltra ædificia ab eo incępta & abſoluta (de quibus ſugillari haud poteſt, *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſumare*) plura alia cogitabat, ſolitus dicere, *Fecisti nos Domine ad te, & irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

20 *Infero Mari* clauſos iam portus ex Maris fluxu vetuſto, cum purgaſſet, aperuiſſet, prouidentia ſingulari, & munificentia incredibili, *Antium* quondam Fortunæ Fano peruulgatum, cum ſubducendis ad terram nauibus minus fortè tutum natura comparatum videretur, ſua munire & perfugium nauigantibus erigere contendit induſtria.

De hoc plane vaticininm impletur Pſalmiſtæ;

Quod reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. 127. *Pſal. num.* 22.

21. *An-*

Antium reſtituit.

a 1. *Antium* Vrbs Antium & Colonia Volſcorum fuit, duobus milliaribus a Neptuno diſtans, octo ab Aſtura; triginta & octo ab vrbe Roma à filijs Vliſſis, & Circe fabrefacta, aliàs ſuo templo celebris, *Fortunę* dicata ementito Numini, à quo reſponſa & oracula implorabant Gentiles; vt de Traiano legitur teſte Macrobio 1. *Satur. c.* 23. Tacito 3. *Annal.*

O Di uagratum, quaregis Antium
Praſens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus; vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos. Horatius Od. 1.

In eam relegatus dicitur Martius Coriolanus, quam poſtea deditione accepit T. Quintius Coſſ. & in delitijs Principes coluere Romani, præcipue Nero vti ſolum patrium, qui ibidem nautis portum aperuit, villis, ędificijs exornauit, colonia eò traducta ciuium Romanorum, ex Suetonio *in Nerone*. Traianus eam ędificijs ampliauit teſte Philoſtrato *l.* 8. Adrianus Auguſtus viridarium dixit deliciarum; in quo Apollonius Accademiam erexit Philoſophicam magna diſcipulorum frequentia. Ex roſtris nanium Antiatarum, quæ Romanus Victor ſuſpendit in foro, nomen deſumpſit ſuggeſtum, ex quo conciones emittuntur ad populum. Nobiliſſimę ciuitatis famam ſeruant adhuc ſculpturæ pretioſiſſimę pręcipuè Gladiatoris (quem ſculpſit Agaſias Doſitęus) ſimulacrum Neronis in Villa Burgheſia: Apollinis ſagitis emiſſis in filios Niobis, in viridario Vaticano. in Villa Pamphiliana Cibeles & Iuno Syria ſedens in dorſo Leonis; Berenices ſtolata ſtans; alia ſimulacra Romæ diſperſa, quæ ex Antio tranſmiſſa retro demonſtrant ſuperbam Romanorum coloniam iacere modò aceruum maceriæ, ruinis obrutum & cæmentis ædificiorum, in quibus elucebat olim magnificentia & opulentia nominis Romani: ſtudio forſan Pontificum prædeceſſorum; vt viam clauderent Sarracenis, qui eò appellebant, vt Romam irruerent. In hoc litore grandinoſo, atq. deſerto longo milliaribus 150. inter Caietam cum nullum eſſet perfugium, & acceſſus nauigantibus, qui frequenti abſorpti naufragio, monſtruoſi fluctibus agitabantur cadauera putrida, ad quæ colligenda *Commiſſarius Mortuorum* deputabatur à Sede Apoſtolica, vt naufragantium ſpolia colligeret atq. cadauera: Tantis incommodis volens Innocentius occurrere, & preces ſuſcipere ſubditorum, qui ad negotiationis, & commertij facilitatem & vbertatem, tantum opus deſiderabant, mandauit portum excauari, pilis muniri, lapidibus quadris incruſtari, aggeribus circumduci, ad retundendum fluxum maris, ea induſtria, labore, ſollicitudine, expenſis, vt ad certamen in arenam deſcendiſse Natura videantur & Ars. Tanto operi Benedictũ Cardinalem Pãphilium licet delegaſſet, qui die noctuq. vrgebat opifices, Pontifex ipſe licet ſenectute penè decrepita prępeditus eò deſcendere voA luit, palatio exceptus Cardinalis Coſtaguti, vt ſua præſentia artifices excitaret; Deo opus benedicente. Tanti operis memoriam nummiſma tenet, cuius in fronte imago Pontificis Innocentii XII. Ex aduerſo *Ancij* portus ſub lemmate: *Venti & Mari obediunt ei.*

Centumcellas.

Litus etiam Centumcellenſe, quò dulcis aquæ ducendæ inopia appellebatur infrequentius, opus licet crederetur deſperatum, tanta vbertate irrigauit, vt incolæ vitam modo non ducant inſuauem: nautæ verò illuc inuitati quo recreentur, abunB dent.

Nepotiſmum fugit.

22. *Nepotiſmo*, quem primo Cardinalis abiurauit ſedente Innocentio XI. R. P. atq. iureiurando diploma firmauit, dictuſq. Pontifex confirmauit: proprerea cum agnatos haberet, atq. cognatos, Eccleſiæ obſtrictus non Sanguini, *Pignatellum* Archiepiſcopum Tarentinum quamuis ob raras animi dotes de Eccleſia meritum inter Cardinales non aſſumpſit; ne extinctum Nepotiſmum videretur ex cinere reuocare. Imo dictus Papa inſignia gentilitia ordine appẽdit inuerſo, vt ſanguinẽ abiuraret atq. famiC liam, & in eam iuſtitiam primòdirigeret: Sic enim & Moyſes *Exodi* 32. *n.* 29. volens punire Idololatras, armauit Leuitas, genus ſacerdotale, vt fratrem vnuſquiſque occideret, amicũ, & proximum ſuum. Abraham cum montem conſcenderet, vt filium immolaret vnigenitum, ligna holocauſti ſuper filium impoſuit; *ipſe verò portabat in manibus ignem, & gladium* 22. *Geneſ.* 6. Sic agant Principes, ignem & gladium inſtrumẽta iuſtitię etiam aduerſus filios habeant parata, & ſemper in *manibus*, vtramq. ſcilicet ſiniſtram & dexteram rigore ſuffulD tam iuſtitiæ, ne in agnatos & cognatos ſuperſit clementiæ locus.

Millionem includit in arce S. Angeli.

23. *Incluſo Millione Coronatorum in arce S. Angeli.* Tantis impenſis ædificiorum, Miſſionum, debitorum extinctorum, Triremes adijce annuatim miſſas in ſuppetias Venetorum aduerſus Thraces: Aurum larga manu tranſmiſſum Cæſari, Sarmatis. Hibernis Londini afflictis pro fide Catholica. Millionem tandem Coronatorum incluſum in arce S. Angeli, fulcrum futurum pro libertate eccleſiaſtica: vnde diſcant

ſucceſſores regulas liberalis œconomiæ, quibus Pontiſices aſtringuntur innocentes.

Virginitatem colit.

24. *Virginitate ſeruata vſq. ad ſepulchrum.* Continens & temperatus cum toto vitæ curſu luxum odio habuiſſet atq. libidinem, vires corporis vſq. ad ſenium proxit immunes, & virgo virgines naturæ reſtituit, vt acceperat. Cibo, potuq. parcus etiam æſtare ſæuiente vinum nō bibit, nec ſiceram ſolis fructibus delectatus. Corpore validus, fortis, robuſtus quamuis ſenectute grauatus Annorum 85. numquam ſpuebat, nares non emungebat, non lachrymoſus, voce ſonorus, abſq. macula, chiragra ſolum aliquando petitus, qua pituitam purgabat. Die S. Auguſtino ſacra, Anno coronationis ſuæ, caſu luxato crure, cum claudicare cœpiſſet, pluribus coactus abſtinere exercitijs, quum conualuit, illico ad laborem ſe reſtituit. ſpetieq. auræ captandæ poſt meridiem, ad ripam Tyberis, accedentes libentiſſime audiit plaudente populo, qui *lo:* inſolito & inceſſanti, patri accurebant, per quem nullon vliter grauati vectigali, licet exornandæ Vrbi, inſtaurandis portubus, procurandiſq. tum ciuium, tum exterorum commodis, incredibilem erogari pecuniæ vim oportuerit. Vere de eo 14. Eccleſ. 12. *Qui timet Deum, faciet bona: & qui continens eſt iuſtitia, apprehendet illam, & obuiauit illi quaſi mater honorificata, & quaſi mulier à virginitate ſuſcipiet illum. Cibabit illum pane vita & intellectus, & aqua ſapientia ſalutaris potabit illum: & firmabitur in illo, & non flectetur; & continebit illum & non confundetur; & exaltabit illum apud proximos ſuos, & in medio eccleſia aperiet os eius, & adimplebit illum ſpiritu ſapientia & intelligentia, & ſtola gloria veſtiet illum, Iucunditatem & exultationem theſaurizabit ſuper illum, & nomine æterno hereditabit illum.*

Faſtum odit.

Faſtus inimicus & ambitus ſolitam aluit pro dignitate ſamiliam, cæterum vno pene cōtētus, reliquos non admittebat, morientibus non ſubrogabat, vacātibus ſupra ſeptuaginta familiaribus, locum implere ſtudioſe neglexit.

Paſſionibus non ſuccumbit.

Natura quaſi impaſſibilis abſq. odio & amaritudine, neq. ſollicitus amicos exaltauit, neq. angebatur, vt inimicos deprimeret. Hinc ſeptem Cardinales Salazar, Denoff, Curſium, Negronum, Kolloniznim, Camuſium, Bicchium, qui in eius exaltatione voto non conuenere, eodem non ſolum habiti Cæremoniali, ſed bene viſi, & officio recepti: Pari beneficio Bononienſes proſequutus, qui ex ſua diſcedentem legatione, nullo honore inſequuti; quàm Neapolitanos, qui omni cultum honore & prognoſtico fœlicitatis ad comitia dimiſere venientem, ſolam habens in voto iuſtitiam.

De hoc Pontifice ſanè, quod de Dijs ſuis Antiquitas: *Dij laneos habent pedes*, tardi ſcilicet in caſtigando, ſceleraq. puniendo: at inulta non præterijt: *ſuperexaltat miſericordia iudicium.* 2. *Iacobi* 13.

Reſidentiam mandat.

Curæ intentus paſtorali, Nouus Elias Epiſcopos omnes ad reſidentiam remittens; Purpuratos ipſos aberrare nō permiſit: axiomate Eccleſ. in *Prouerbijs* 11. *n.* 14. vſus frequenter, *Vbi non eſt gubernator, populus corruet.* Vnde Liranus in lib. 2. Eſdræ n. 13. *Abſentia boni Principis de terra ſua, & boni Prælati de ſua eccleſia, frequenter ſunt occaſiones malorum, in illis pullulantium: ſicut præſentia gubernatoris eſt cauſa ſalutis nauis, & eius abſentia periclitationis*, Quantum damni excitet abſentia Prælati, Solis habes in quadriga, effrenis equis huc illuc dilabentibus, ſub lemmate, *Hinc abeſt Apollo*. Ex aduerſo quàm vtilis quàm decora eccleſiaſticæ politiæ, præſentia Principis animarū ab eo diſce, qui Cæſarem inſtruebat Traianum, Plinio *in paneg. O veri Principis, atq, etiam Conſulis reconciliare æmulas ciuitates, tumentesq. populos non imperio magis, quàm ratione compeſcere, intercedere iniquitatibus Magiſtratuum, infectumq. reddere quidquid fieri non oportuerit*, & S. Athanaſius epi. 1. ad Ep. Cretenſem, *Si quiſque Paſtor, in diœceſi qua illi obtigit, vel biduum moretur, expertis liceat permulta peccata, & damna non eſſe futura in populo.* Vitulum adorauit Hebræus, Moyſe à longe ſtante in cacumine montis, vbi ſubditorum geſta luſtrare non valebat: Vitulum illi non erexiſſent; ni abſens Moyſes fuiſſet.

Iubilæum

25. *Iubilæi.* Morbo tentatus frequenti, Deo curante conualuit; geſtiente Romà præ lætitia, vnde Anno ſæculari 1700. Iubilæum laxauit, Orbe Romam accurrente Catholico ad ſolemnitatem & ad participationem theſauri Eccleſiaſtici. *Duplex* eſt. Iubilæum, Iudaicum, & Chriſtianum. Illud lege Cæremoniali ſepultum: quum vigeret, debitorum remiſſionem, & à mundana ſeruitute immunitatem quinquageſimo quouis Anno indulgebat: & quilibet agros redimebat venditos vel oppignoratos etiam ſine pretij refuſione, ſi debitori paupertate preſſo pecunia deeſſet ad redimendum. Votum Iubilæi erat: ne terra Promiſſionis Diuina ſorte diuiſa, poſtea hominum auaritia confuſa, conditionem ſubiret priorem; vt ſic recordarentur, quòd ipſi poſſeſſores illius agri eſſent, non eſſent domini, ſed coloni illius Dei ac Domini, *cuius eſt terra & plenitudo eius; Orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo*, 49. Pſal. 12. Iubilæum verò Chriſtianum illud eſt, quo Summi Pontifices, & Vicarii Chriſti Re-

dem.

Digitized by Google

demptotis, peccatorum omnium abſolutionem, & a vinculis Purgatorii liberiatem ſpiritualem nobis Chriſtianis limina ſaluraturis Apoſtolorum pollicentur, ac vere actu diſtribuunt omnibus cum fide & opere accedentibus pęnitentibus. Anno ſolummodo Centeſimo a prima otigine Iubilæum aperiebatur; & ſęculare dicebatur, vt ludis Ethnicorum ſæcularibus opponeretur, quos *Diti* & Proſerpinę ſacros poſt centum Annos celebrandos Gentiles ſtatuerant: A quia ſæculum ſeu vitæ ſpatium eouſq. non vlterius extendi exiſtimarent; clamante tunc præcone. *Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, nec viſurus eſt.* Verum cum debilitata natura, difficillime homines Sęculum vitæ pertingant; ad Annum 50. reductum eſt Iubilæum: tandem vt quæque ætas fieret huius beneficii particeps; Sixtus IV. Pontifex Romanus ad vnumquemque Annum 25. Iubilæum contraxit.

Infatiga-bilis. Ad Innocentiū redeo, qui poſt publicatū Iubilæum, Portam Sanctam cum aperuiſſet Anno ineunte ſæculari 1700. *Die* 22. Augusti, eiuſdem Anni 1700. iterum grauaretur ad mortem, Neapoli Romam tranſmiſſo cucullo B. Iacobi de Marca, eo coopertus conualuit: cumq. ex omni ferme regione in almam Vrbem conueniſſent Eccleſiæ filij, nullo potuit vitæ diſerimine cohiberi quin prodiret in publicum, amantiſſimi patris officium impenderet; vniuerſoq. populo, qui huius maxime voti compos fieri cupiebat, benediceret. Vir ſane nec laboribus victus, nec morte vincendus.

De eò ſane reperi valet, quod de Ferdinando II. Imperatore apud Lamormainum cap. 18. quidam aulicus. *ſe nunquàm ad Cæſarem intraſſe (intrabat autem ex munere frequentiſſimè) quin illum in opere deprehenderit legentem, ſcribentem, audientem, orantem. Pertinax hoc laboris ſtudium ad mortem vſq. illi fuit. Eo ipſo Veſpere, qui matutinum obitum præceſſit, libellos plurimos legit, plura conſtituit, ſuaq. manu firmauit; nonnulla Conſiliarijs expendenda tranſmiſit; & planè, ſi non ſtans, laborans occubuit.* Sic Innocentius XII. D

26. (*Humili quieſcit ſepulchro*) Infirmatus ad mortem chirographo ſubſcripſit Coronatorum quadraginta mille ad redimendos captiuos: nec non pro pretio ſoluendo noui palatij ad hoſpitium pauperum. Teſtamento condito mandauit mobilia ſua diſtribui à Cardinalibus Palatinis, vt pretium pauperibus diſtribueretur.

Obiit die 27. Septemb. 1700. hora tertia noctis. In Petri Baſilicam delatum cadauer magno populi concurſu, ſeditione excitata ob populi frequentiam plures vulnerantur a quodam pediſſequo, polluta eccleſia ob ſanguinis profuſionem, quæ illico reconciliata, vt exequiæ ſoluerentur Pontificiæ.

Mors Eius in funere perorauit Nicolaus Forti guerra, typiſq. dedit orationem ſuam, Romæ apud Caietanum Zenobium. *Humili quieſcit ſepulchro*, Romæ in eccleſia S. Petri, quod ſibi viuens poſuit. In hac enim tanta vitæ ſęlicitate minime ſibi eblanditus, colloquia ſæpe miſcens de exceſſu, neglectis virtutum imaginibus, quæ in Auguſtiſſima Baſilica memoriam poſteris excitarent, humile nulliſq. inſcriptum titulis, nullis exornatum imaginibus, mortalitatis dumtaxat monumentum, ære ſuo ſibi conſtruxit, vt quoties ſacratiſſimos Apoſtolorum cineres venerabundus inuiſeret, Pontificiæ Maieſtatis ornamenta & cerneret, vnde ſumpſerat, & quò ſibi ponenda breui forent, aſſidue recordaretur.

Humile Chriſti Saluatoris recordatus monumentum, ac Martyrum, in eo laſciuien-B dum dicebat; non in ſepulchris de albatis quę foris ſpecioſa, intus verò plena oſſibus & omni ſpurcitia. 23. *Matt.* 27. Cęca hominū ſuperbia, vt eum totus homò decidit in Sepulchrum, ipſa tunc fortior reſurgat, & Ludere gaudeat in cinere, pyramides erigens quaſi per eas ſcādere Cœlum cogitet. Non ſic magnus ille Pompeius cum victus cecidiſſet in litore Lybiæ, agreſtis homo ſparſa membra collegit, congeſtaq. in vnum (teſte *Lucano lib.* 8.)

Parua clauſit humo: tūc ne leuis aura inteſtos
Auferret cineres: ſaxo compreſſit arenam:
Nautaq. ne buſtum religato fune mouéret:
Inſcripſit ſacrum ſemiuſto ſtipite nomen

Hic ſitus eſt Magnus.

Anima (Lucan. lib. 9.) verò *poſtquàm proſiluit buſto, ſemiuſtaq. membra relinquent,*
Degeneremq. rogū ſequitur conuexa Tonantis
Qua niger aſtriferis connectitur axibus aer.
Quodq. patet terras inter Lunęq. meatus,
Semidei manes habitant; quos ignea virtus
D *Innocuos vita patientes atheris imi*
Fecit: & æternos animum collegit in Orbes.
Non illuc auro poſiti: nec thure ſepulti
Perueniunt: illic poſtquam ſe lumine vero
Impleuit: ſtellaſq. vagas miratur: & aſtra
Fixa, polis: vidit quanta ſub nocte iaceret
Noſtra dies: riſitq. ſui ludibria trunci.

Humile tamen quamuis ſibi Innocentius decreuiſſet ſepulchrum; non deſuit Roma pompā adeſſe exequiarum ſolita & cadaueri decreta Pontificio. Feretrum illuſtrabant faces, ſed magis geſta Pontificia depicta in gradibus tumuli honorarii.

Cæ-

I.

Cæremoniam primus exponebat deferendi Sacrum Viaticum ad Infirmos nobili ac frequenti comitatu ſub lemmate.

Sanctiſſimi Viatici cultu amplificato.

II.

Religionem exhibebat Catholicam, nouis decretis Miſſionibus ſub lemmate.

Religione in Æthiopiam & Americam propagata.

III.

Publicam deſignat audientiam, qua indiferenter omnes admittebat; ſub lemmate.

Aperto ſemper ad Principem aditu.

IV.

Theſaurum annuit in arce incluſum S. Angeli ad ſummam Millionis; ſub lemmate.

Eccleſiaſtico Ærario notabiliter aucto.

V.

In quinto Curia Innocentiana, ſub lemmate.

Litigantium commoditati.

VI.

In ſexto geminum mercium ſuſcepto rium à fundamentis erectum; quorum reditus hoſpitio pauperum adſignauit: ſub lemmate.

Vectigalium pretio pauperibus erogato.

VII.

Sciagraphia Portus Antii nouiſſime reſtituti ab Innocentio XII. ſub lemmate.

Nauigantium ſecuritati.

VIII.

Hoſpitium S. Michaelis à Ripa erectum ad alimoniam, & inſtructionem puerorum miſerabilium; ſub lemmate.

A *Puerorum miſerabilium inſtitutioni.*

IX.

Damnat nouatorum opiniones tanquàm veritati, diuinæ legi, bonis moribus contrarias; ſub lemmate.

Damnata nouarum opinionum audacia.

X.

B Anno ſæculari 1700. Innocentius XII aperit Portam Sanctam: ſub lemmate.

Anni Sæcularis indictio.

XI.

Dignitates diſtribuit Eccleſiaſticas non agnatis & cognatis, ſed ſolo meritorum intuitu; ſub lemmate.

C *Dignitatibus ſolo meritorum ſuffragio diſtributis.*

XII.

Vbertatem Annonæ procurat non ſolùm Romæ, ſed in tota ditione Eccleſiaſtica ſub lemmate.

Annonæ cenſu liberaliter diminuto.

Exequias adhuc celebrat Roma, dum pa- D trem recordatur amiſſum. Principes ipſi Nęnias canunt, quòd Religione Pontifex, regimine Princeps Eccleſiam dirigeret, regnum non negligeret. Orbis lachrymatur vniuerſus, quòd clemens & innocens ſæpe cum Paulo ad Hebræos *cap.* 5. repeteret: *Omnis namq. Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis: qui condolere poſſit ijs, qui ignorant, & errant: quoniam & ipſe circundatus eſt infirmitate; & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis.*

Pri-

PROMOTIO CARDINALIVM PRIMA

Facta ab Innocentio XII.

Die XII. Decembris

Salutis Anno MDC. VC.

1 Iacobus Antonius Morigia Mediolanenſis Archiepiſcopus Florentinus. A

2 Sebaſtianus Antonius Tanara Bononienſis. Nuntius Apoſtolicus ad Ceſarem.

3 Iacobus Boncompagnus Romanus, Archiepiſcopus Bononienſis.

4 Ioannes Iacobus Cauallerinus Romanus; Legatus ad Ludouicum XIV. Gallorum Regem.

5 Federicus Caccia Mediolanenſis. Nuntius Apoſtolicus ad Regem Hiſpanum.

6 Thadeus Aloyſius del Verme, Epiſcopus Fanenſis Placentinus. B

7 Fr. Thomas Maria Ferrarius Neapolitanus Ordinis S. Dominici, Magiſter Sacri Palatij.

8 Ioſeph Sacripantes Narnienſis, Prodatarius, à Secretis Memorialium.

9 D. Celeſtinus Sfondratus Mediolanenſis Abbas Benedictinus S. Pauli.

10 Fr. Henricus de Noris Veronenſis Auguſtinianus, Vaticanę Bibliothecę C.

11. Ioannes Baptiſta Spinula, Lygur Apoſtolicus Camerlingus:

12 Dominicus Tauruſius Ferrarienſis Auditor Rotæ Romanæ.

13 Henricus Granggus natu Gallus Abbas &c.

14 Balthaſſar Cencius Romanus cubiculo præpoſitus Pontificio publicatur ſolum. Die XXII. Iunij 1697.

Promotio Cardinalium Secunda

Facta ab Innocentio XII. R. P.

Die XXII. Iulij.

Salutis Anno MDC. IIIC.

15 Georgius Cornelius patritius Venetus, Archiepiſcopus Rhodienſis, Nunrius Apoſtolicus ad Regem Luſitanum. Republica Veneta intercedente. C

16 Vincentius Grimanus patritius Venetus, Abbas Lucedii: Cæſare intercedente

17 Petrus Armandus de Cambout de Koaſlin Gallus, Epiſcopus Aurelianenſis. Gallorum Rege intercedente. D

18 Aloyſius de Souſa, Luſitanus, Archiepiſcopus Vlyſſiponenſis: Rege intercedente Luſitano.

19 Alphonſus de Aguillar de Corduba, Hiſpanus Abbas Ruttenſis: Rege intercedente Hiſpano.

20 Fabritius Paulucius Foroliuienſis Archiepiſcopus Firmianus.

Digitized by Google

Promotio Cardinalium Tertia

Facta ab Innocentio XII. R. P.

Die XIV. Menſis Nouembris.

Salutis Anno MDCIC.

21 Ioſeph Archintus Mediolanenſis, Archiepiſcopus Mediolani, apud Carolum Regem Hiſpaniarum Apoſtolicæ Sedis Nuntius.

22 Andreas de S. Cruce, Archiepiſcopus Seleucienſis apud Leopoldum Imperatorem Nuntius Apoſtolicus. Romanus.

23 Marcellus de Aſte Romanus, Archiepiſcopus Athenarum, Secretarius Congregationis Epiſcoporum, & Regularium.

24 Daniel Marcus Delphinus patritius Venetus, Epiſcopus Brixienſis, ad Ludouicum XIV. Gallorum Regem Nuntius Apoſtolicus.

25 D. Ioannes Maria Gabriellius Abbas Generalis Monacorum Reformatorum S. Bernardi, Ordinis Ciſtercienſis. Tifernas.

26 Nicolaus Radolouicus Dalmata. Archiepiſcopus Theatinus.

27 Sperellus Sperellus Aſſiſienſis, Aſſeſſor S.S. Inquiſitionis.

Promotio Cardinalium Quarta

Facta ab Innocentio XII. R. P.

Die XXI. Menſis Iulij

Salutis Anno M.DCC.

28 Ioannes Philippus Lamberg Germanus, Archiepiſcopus Cæſare intercedente

29 Ludouicus Antonius de Nouailles Gallus; Archiepiſcopus Pariſienſis Rege Gallorum intercedente.

30 Franciſcus Borgia Hiſpanus Rege intercedente Hiſpaniarum.

Epiſco-

Epiſcopi Cardinales qui Innocentij XII. creationi, adfuere.

Ex Innoc. X.

1. Aldetanus Cybo de Maſſa Carraria

Ex Alex. VII.

2. Flauius Chiſius Senenſis

3. Antonius Bichius Senenſis.
4. Iacobus Franſonus Ianuenſis.

Ex Clem. IX.

A 5. Palutius Alterius Romanus.
6. Emmanuel Theodoſius Bullionius Gallus

Presbyteri Cardinales.

Ex Innoc. X.

7. Franciſcus Maidalchinus Viterbienſis.
8. Carolus Barberinus Romanus.

Alex. VII.

9. Gregorius Barbadicus Venetus.
10. Io: Nicolaus de Comitibus Romanus.
11. Iulius Spinula Ianuenſis.
12. Io: Delphinus Venetus.

Clem. IX.

13. Nicolaus Acciaiolus Florentinus.
14. Ludouicus de Portocarrero Hiſpanus.

Clem. X.

15. Gaſpar de Carpineo Romanus.
15. Petrus Bonſius Florentinus.
17. Cæſar Deſtræus Gallus.

Clem. X.

18. Franc. Merlius Florentinus.
19. Hieronymus Caſanata Neapolitanus.
20. Galeatius Mareſcottus Romanus.
21. Fr. Vincentius Maria Vrſinus Rom.
21. Federicus Columna Peruſinus.
23. Fr. Philippus Tho: Hunar. de Norfolcia Anglus
24. Fabritius Spada Romanus.

Innoc. XII.

25. Antonius Pignatellus Neapolitanus.
26. Franciſcus Bonuiſius Lucenſis.

27. Sauus Millinus Romanus.
18. Federicus Vice Comes Mediolanenſis.
29. Fr. Lauren. Brancati de Laurea.
30. Fr. Raimundus Capiſuceus Romanus.
31. Io: Bap. Spinula Ianuen.
32. Iacobus de Angelis Piſanus.
33. M. Antonius Barbadicus Venetus
B 34. Leander Coloredus Foroiulienſis.
35. Io: Caſimirus Denhoff Polonus.

Innoc. XI.

36. Petrus Matthæus Petruccius Senenſis.
37. Carolus Cicerus Comenſis.
38. Michael Radzielo VVsKi Polonus.
39. Gulielmus Furſtemberg Gallus.
40. Marcellus Duratius Ianuenſis.
41. Fr. Petrus de Salazar Hiſpanus.
42. D. Ioſeph de Aguire Hiſpanus.
C 43. Stephanus Camuſius Gratianopolitan. Gallus.
44. Angelus Ranutius Bononienſis.
45. Opitius Palauicinus Ianuen.
46. Leopoldus Kollonitz Germanus.
47. Veriſſimus de Alencaſtro Luſitanus.
48. Io: Gœſſen de Gurgo Germanus
49. Fortunatus Caraffa Neapolitanus.

Ex Alex. VIII.

50. Io: Bapt. Rubinus Venetus.
D 51. Io: Baptiſta Coſtagutus Romanus.
52. Franciſcus de Iudice Neapolitanus
53. Bandinus Panciaticus Florentinus.
54. Ferdinandus de Abdua Mediol.
55. Iacobus Cantelmus Neapol.
56. Tuſſanus de Fourbin Gallus.

Diaconi Cardinales.

Ex Innoc. XI.

59. Vrbanus Sacchettus Florentinus
58. Io: Franc. Ginettus Romanus,
59. Benedictus Pamphylius Rom.
60. Dominicus Maria Curſius Floren,
61. Io: Franc. Nigronus Ianuenſis.
62. Fuluius Aſtallius Romanus,
63. Franc. Maria Medices Florentinus.
64. Rinaldus Eſtenſis Mutinenſis.
65. Petrus Othobonus Venetus.
66. Laurentius Alterius Romanus.
67. Franciſcus Barberinus Romanus.
68. Aloyſius Homodeus Mediolanenſis.
69. Ioſeph Renatus Imperialis Ianuenſis.
70. Carolus Bichius Senenſis.
A 71. Io: Franc. Albanus Vrbinas: Papa Clem. XI.

Promotio Prima Cardinalium creatorum ab Innocentio XII. die 12. Decembris 1695. in ſecreto Conſiſtorio.

1 Iacobus Antonius Morigia.
2 Sebaſtian. Antonius Tanara Bononienſis.
3 Iacobus Boncompagnus Romanus.
4 Io: Iacobus Cauallerinus Romanus.
5 Federicus Caccia Mediolanenſis
6 Thaddæus Aloyſius del Verme Ep. Fauenſis Placentinus. B
7 Thomas Maria Ferrarius, Neapolitanus
8 Ioſeph Sacripantes Narnienſis.
9 D. Cœleſtinus Sfondratus Mediolanenſis.
10 Fr. Henricus de Noris, Veronenſis.
11 Io: Baptiſta Spinula Lygur.
12 Dominicus Tauruſius Ferrarienſis.
13 Henricus Grangæus Gallus.

Cardinales creati eadem die 12. Decemb. 1695. publicati verò ſolummodo die Iunij 1697.

4 Balthaſſar Cincius Romanus.

1. Quoniam Dominus in generatione iuſta eſt,
13. Pſal. 6.



IAcobus Antonius Morigia Mediolanenſis (de cuius familiæ origine & nobilitate plura tradit Paulus Morigius *de Antiquit. Mediolan. lib.* 3.) Petrus Creſcentius in *Amphiteatro Romano* ſparſim, Gaſpar Bugattus, aliiq. Mediolanenſes Hiſtorici, qui de re patria ſcripſerunt, Regio ſangui ne à Numidarum principibus ortos *Morigios* fecit, qui primo *Mauri*, deinde *Mauritij* appellati. Hi cum Cæſaris armis contra Pompeium adhæſiſſent, ob res præclarè geſtas Romana ciuitate donati in Italiam tranſiere, & in plures eiuſdem ſparſi prouincias, Mediolani præſertim domicilium fixerunt, vbi per multa jam ſæcula claruere omnibus virtutis honoriſq. gradibus ad hunc vſq. diem illuſtres. C D

Numerat hæc familia inter ſuos majores, martyrii laurea coronatos Naborem & Felicem: immo & S. Pontificem Linum Petri ſucceſſorem, & fortiſſimum Victorem illis adſcribunt probati auctores. His adde B. Sauinam matronam, pias Virgines Catherinam, & Angelam Monaſticæ vitæ ſpectatiſſima exempla. Venerabilem Iacobum Antonium Morigium, vnum de Protoparentibus Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli, primumq. illis Præpoſitum Generalem, & complures alios eximia pietate inſignes, adeo vt vere dici poſſit *Gens ſancta, Genus electum*.

At quæ tot Heroes Cœlo peperit, non minus excelluit apud Mortales vberi gloriæ prouentu, Summos enim protulit viros doctrina & armis, domi foriſq. præſtantes, grauiſſimos præſules Infulis dedit: Ordini Hieroſolymitano ſtrenuiſſimos equites, Magiſtratibus ſapientiſſima capita, plures ter illuſtri Mediolanenſium Iuris peritorum Collegio laureatos, quorum indicem texere, longum eſſet. Neque hi à remotiori memoria petendi, cum nuper floruerit Purpurati frater Carolus Cæſar, qui adminiſtrata integerrime Vrbis præfectura, paucis ab hinc Annis deceſſit. Supereſt ad huc germanus alter Io: Angelus eidem adſcriptus ordini, proximè Vrbis præfectus, nunc Vicarius Prætorius, & ornatiſſimus Eques Io: Baptiſta nepos iis perfunctus in patria muneribus, quæ nonniſi nobilioribus viris demandari ſolent, in quibus perennat decus Auorum.

Ex hac clariſſima ſtirpe progenitus Iacobus Antonius die 23. Februarii 1633. patre *Io: Baptiſta Morigia*, matre *Angela Porta* indolem prætulit ſanguini parem, quam in Accademia *Inſoccatorum* Arcimboldi gymnaſii, in collegio S. Alexandri P.P. Bernabitarum, Mediolani, bonis artibus excoluit. Io: Hypolytus in Baptiſmate appellatus Annis adultus, ac literis generoſo rerum mortalium contemptu inſtitutum amplexus Clericorum Regularium S. Pauli, quos P. P. Barnabitas vocant, ad ſuæ

Con-

Congregationis leges inſtructus, vtraq. ingenij, ac probitatis laude præfulſit mutato nomine in Iacobum Antoniũ, vt obſequium ſolueret Iacobo Antonio Moriggio, vni ex tribus fundatoribus dictæ Congregationis. Studijs abſolutis in Ticinenſi Vniuerſitate, collatam poſtmodum in commune bonum doctrinam diu diſtribuit non ſolum in domeſticis apud ſuos cathedris, & ſuggeſtis, concionibus, & Sanctorum panegyri; & per plures Annos in publico eiuſdem Congregationis conuentu, Philoſophiæ ac Theologiæ profeſſor egregius; ſed humilitatis magiſter, ad gradus ſupremos euocatus Congregationis & quaſi coactus, modeſtè abſtinuit ad memoriam fundatoris ſui, vt cultui ſolum vacaret diuino; ac ſcientiarum veſtigationi. Hinc à M. Hetruriæ Duce Coſmo vocatus ad Theologica conſilia, atq. ad Sereniſſ. primogenitum Ferdinandũ inſtituendum adhibitus, eo ſucceſſu grauiſſimas curas peregit, vt ſacras meruerit Præfecturas, per quas ad Eminentiſſimum gradum fecit. Summo Pontifici Innocentio XI. acceptiſſimus, ab eodem Miniatenſis Epiſcopus creatus, poſtea inſcius & ignarus a M. Hetruriæ Duce nominatus ad Florentinum Archiepiſcopatum doctrina, vigilantia, pietate, optimi Præſulis per Annos 17. partes impleuit. Demum ab Innoc. XII. inter Cardinales aſſũptus tit. *S. Cæciliæ* Archipresb. Baſilicæ Liberianę die 12. Decemb. Sal. An. 1695. communi plauſu, & ſumma omnium gratulatione renunciatus. Hunc ſibi cum ſucceſſorem deſignaſſet Innoc. XII. & creaturis ſuis de Moriggiæ exaltatione verba feciſset, claſſicum cecinisſe dicitur ſenex ſanctiſſimus, ęmulos aduerſus Moriggiam concitando, vt obicem ponerent eius exaltationi. Quàm modeſte ſe habuerit in Comitijs Clementis XI? nemo neſcit Purpuratorum. De Eccleſiaſtica meritus Immunitate, ea dexteritate aduerſus aulicos, iura propugnauit Eccleſiæ, vt à Romanis Congregationibus nulla cenſura notatus, medicus inceſserit inter aulam & Eccleſiam ſine querela. Agnatos cum habeat & cognatos, his pauperes ſemper prætulit, quorum in ſinu depoſuit Chriſti theſauros.

Plura de eius natalibus, virtute, Religione, Iuſtitia edidere Mediolani *Accademici Inſocati* libro typis dato, à Ioſepho Pandolpho Malateſta Anno 1699. Mediolani, ſub titulo *Geſtientium Literarum Plauſus &c.* ex quibus ſequentia excerpta.

RELIGIO.

Aquila Gentilitia ex abrupti Montis ſupercilio Cęlum ſpectans, cum lemmate.

DVM SIM VICINIOR ASTRIS.

Ales humo ſpreta prærupta cacumina ſcandit,
Conſpectum Cæli proximioris amans.
Te non ima tenent, IACOBE: per ardua tendis,
Quà patet ad Superos dura, ſed apta via.
Mens ea promeruit Sanctæ faſtigia Romæ.
Vel propriùs Cælum proſpicit Arce Petri.

II.

INSIGNIS DOCTRIMA.

Arbor Morus onuſta fructibus circumuolante Apum examine, cum hemiſtichio.

LARGE' OMNIBVS VNA.

Nectareis locuples vbertim fructibus Arbor
Quot circumfuſas vnica paſcit Apes!
A *Sic Tua multiplices diues Sapientia fructu*
Vna tot Ingenijs grata alimenta dedit.
Funditur innumeros doctrina copia in vſus.
Qui ſapit, vt ſapiat pluribus, ille ſapit.

III.

DIVINORVM STVDIVM.

Aquila ſupra nubes volitans, cum epigraphe

TRAMITE NON TRITO

B *Ima volans elementa ſuper, trans nubila, & auras*
Tramite non trito Regia ſcandit Auis.
Altiùs ingenij tollens, IACOBE, volatum
Supra Naturæ culmina Numen adis.
Huc Tuus Ales agens generoſa indagine pennas
Iam veri Volucrem ſe Iouis eſſe docet.

IV.

CONSILII MATVRITAS.

Morus germinans ſub ſigno Tauri, impendente hemiſtichio

C

SECVRÆ STVDIOSA MORÆ.

Germina vt emittat, meditatur tempora Morus;
Nec ſegni, at cauta conſulit aſtra mora.
Conſilijs, IACOBE tuis Prudentia ſolers
Maturata prius pectore ſenſa refert.
Hinc fallax nunquam prodit ſententia lingua.
Nam priùs a docta mente petita venit.

V.

INSTITVTIO SERENISSIMI PRINCIPIS
D MEDICEI.

Aquila in Summitate haſtæ, qualem in ſignis militaribus Romani præferebant, cum lemmate.

DIGNA PRÆIRE DVCES.

Dux Aquila Auſonij felix, martiaque Martis,
Electa eſt Magnos digna præire Duces.
Grandia Virtutum ſed Tu veſtigia figens
Auſpicio Heroes nobiliore preis.

Sic Tu dignus eras Hetruſcæ gloria Alumni:
Sic Duce Te dignus Magnus Alumnus erat.

VI.

PAR SVMMIS HONORIBVS VIRTVS.

Morus ſupra patentem Soli cliuulum vireſcens, cum hemiſtichio.

ME DECET APRICVM

Nacta patens nitidis radiatum ſolibus aruum
Tollitur aprico Morus amœna loco.
Cur tua priuatam Virtus latitaret ad vmbram,
Pulchrius in Latiis apta micare iugis?
Nec facit, oſtendit meritum lux publica. Laus eſt
Supra Apicem meritis eminuiſſe Tuis.

VII.

CVRA PASTORALIS.

Aquila ſupra nidum volitans, in quo pulli matrem ſpectantes, & explicantes alas, cum lemmate.

CVSTODIA, NORMAQVE PROLIS

Cuſtodit pullos, volitando prouocat Ales,
Vtraque præſcribit munera prolis amor.
Tu vigil ANTISTES, cuſtos & norma Tuorum
Inde foues, iſtinc tendere ad aſtra doces.
Quos ſeruat tutela Deo, vocat ardor in alta.
Quis neget exemplum Te præeunte ſequi?

VIII.
ECCLESIÆ COMMISSÆ CVLTVS.

Motus frondeſcens in virenti frugibus, alijſque Arboribus campo, cum epigraphe.

TE CVNCTA VIRENTE VIGENT.

Arbos vbi ſapiens redimito vertice frondes,
Hac terris pariter cuncta virente vigent.
Cùm tibi gemma honor mitræ, ſacra Vinea vernat,
Cultaque Virtutum fruge viteſcit humus.
Seu pro te arridet mitis clementia Cæli,
Super Te verno ſydere floret ager.

IX.
PIETAS IN EGENOS.

Aquila prædam auibus diſpertiens, inſcriptis verbis.

PLVS ALIJS, QVAM SIBI.

Diſpenſat lectas Volucris præſtantior eſcas,
Prouidaque plus aliis, quam fuit ipſa ſibi.
Non aliter, PRÆSVL, ſacros impendere cenſus;
Pia Te prima fuit paſcere cura gregem.

Splendidior dominus rerum, quas prodigis, augis.
Quæ dedit, hæc Pietas accumulaſſe putat.

X.

MERITVM EMINENTISIMÆ DIGNITATIS.

Morus fructibus purpuraſcens, inſcripto hemiſtichio.

NATIVO RVBVIT SVCCO.

Adſcito haud opus eſt fructus expingere cocco,
A *Matura ingenito muricæ Lora rubent.*
Intus erat pretium, quo nunc Tua Purpura ſplendet.
Hanc Genus, hanc probitas, ingeniumque dedit.
Quæ Tu Sacrata illuſtras inſignia frontis,
Eſque idem ſummis ſummus honoris honor.

XI.

MAGNANIMITAS

Aquila Solem intuens, cum epigraphe

IAM CONSCIA LVCIS.

B
Non caligat Auis, quæ Phœbi ſuſtinet ignes.
Iam memor hac generis conſcia lucis erat.
Taliter haud aciem affulgens, IACOBE, retundis
Hinc Aula, hinc Mitra, Muricis inde iubar.
Temperies eadem quouis cum lumine perſtat.
Eſt magnæ mentis grandia poſſe pati.

Anno ſæculari 1700. cum Romã veniſſent Iubilæi conſequendi cauſà Confratres Florentini S. Benedicti, Cardinalis Morigiæ benigna charitate recepti, in prandio ab eodem famulitio honorati, ac eorum ſinguli argenteo donati nummiſmate (va-
C loris Ducati aurei) Florentiam rediere Dominum benedicentes.

2. *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.* 27. Prouer. 2.



SEbaſtianus Antonius Tanara, Bononienſis, filius Io: Nicolai Marchionis Tanaræ ex Lucretia Ghiſileria legitima coniuge, Romæ natus die X. Aprilis 1650. ſtudio bonarum artium, Bononiæ incubuit, vbi lauream adeptus doctoralem, Barcelli-
D num ad Gallos Nuntium ſequutus Pontificium, ad Flandros poſtea declinauit, Britannos, Germanos, vt mores inquireret exteros. In patriam reſtitutus a Clemente X. R. P. Prothonotarijs adſcriptus Participantibus Romam aſcendit, vbi ab eodem Pontifice Internuntius declaratus in Flandriam, cum directione arcani Romanæ Curiæ cum Carolo IJ. Britanniæ Rege, Londinum transfretauit, vbi Iacobũ Rex Lutheraniſmo abiu-

abiurato, Religioaem profitebaiur Catholicam. Mortuo Clemente X. Coloniam mittitur Agrippinam ab Innoc. *XJ.* Sal. Anno 1687. vt mortuo Maximiliano Henrico Bauariæ Duce, pacem procurarer in aſſumptione noui Electoris, in quem venti vndiq. aduerſi conſpirabant. Sedente Alexandro VIII. Regem adijt Luſitanum, vt Pontificis nomine faſcias offerret benedictas Braſilij Principi; quod nouū, & Romanis incognitum Pōtificibus. In itinere Breue obtulit Pontificium Gallorum Regi, ſimile Regi ac Hiſpaniarum Reginę, Eodē poſtea iubente Alex. VIII. Nontius tranſijt Ordinarius ad Cæſarem Leopoldum. t. fortuna iactatus aduerſa, A gemino namq. naufragio ſuppellectilem ſuam Colonnia Agrippina ad Luſitanos traſmiſſam & ex Luſitania reducē, amiſit abſorptam: ibidēq: pro arcano pacis ſubſtitit Imperatori gratus vſq. ad Innocentiū XII. Diſſidiis namq. fatigatus Pontifex Germanorum, qui armatis Phalangibus in Italiam irrepſerant, vnde limina milite præmunierat; atq. oneroſis Lictreſteinij, ac Martinizij legationibus quarum occaſione Nuntius ſollicitus Cæſarem dietim demulcibat iratum, Pontifice plaudente Romano, cuius in ore ſemper Tanara cum elogio recurrebat; factum, vt accelerata Cardinalium promotione Innocentius, Presbyterum Cardinalem aſſumpſerit B tit. *S.S. IV. Coronatorum*, die 12. Decemb. 1695. ac Nonantulæ Abbatia donauerit in agro Mutinenſi, Congregationibus adſcripſerit Tridentini Concilij, Rerum Cōſiſtorialium, Sacrę Conſultę, Eccleſ. Immunitatis, Controuerſiarum, Fidei Propagandæ. Comitijs adſuit creandi noui Pontificis, in quibus voto ſuo Clementem XI. exaltauit.

3. *Honora patrem tuum, & matrem, ſicut præcipit tibi Dominum Deus tuus, vt longo viuas tempore, & bene ſit tibi.* 5. Deuter. 16.



IAcobus Boncompagnus, Bononienſis, natus die 19. Maii, An. 1653. in inſula Sorę, Hugonis Boncompagni Soræ Ducis Arpini Domini & Arcis Siccæ, Marchionis Vignolæ, Senatoris Bononienſis, ac pro Rege Catholico in regno Neapolitano, Armorum directoris filius ex Maria *Ruffo* filia Ducis Bagnaræ in Calabria; Militiæ adſcribitur Hieroſolimitanæ dum adhuc in cullis vagiret infans, ab Alex. VII. R. P. ob nuptias Eleonoræ ſororis Iacobi Boncompagni cum Principe Burgheſio, cuius ſoror Auguſtino Chiſio nupſerat Chiſio nepoti Alexandri VII. Sedente Innocentio XI. R. P. nomen cum dediſſet Eccleſiæ, Oropito præpoſitus in Hetruria, iuſti & pacifici nome obtinuit. Sedente Alex. VIII. Firmianus Prolegatus in Marca Anconitana, fama non minori cum præualeret apud Pontificem, quadrimeſtri regimine non abſoluto, Archiepiſcopus aſſumitur Bononienſis, die vero XII. Septemb. 1695. Presbyter reatur Cardinalis tit. *S. Mariæ in Via* ab Innocentio XII. a quo Legatus a latere deſignatus Anno 1699. Mutinę nuptias benedixit Principis Brunſuicenſis, & Luneburgenſis ſponſæ Regis Romanorum, nomine Romani Pōtificis. Curam gerit paſtoralem innocentia morū, & ſaluiati vigilantia ſuper gregem ſuum; Clerum pręcipue, atq. Sanctimoniales, vt caſte viuant. Miniſtros haber verè eccleſiaſticos, vt diœceſi ſit familia exemplum virtutis. Cuſtos tenaciſſimus eccleſiaſticæ immunitatis, Romæ bene audit, vnde Congregationibus adſcriptus Tridentini Concilii, Epiſcoporum & Regularium, Viſitatioois Apoſtolicæ. In ſuæ diœceſis viſitatione, Eccleſias non omiſit etiam in ſummis montium, quo enim curru adire prohibitus, eques aſcēdit vel pedes. Cardinalis dictus poſt gratiarum actionem Romæ peractam, in Aprutium deſcendit, vt coleret, & obſequia ſolueret genitrici ſuę: domi namq. cum degeret paternæ, nunquam ſecedebat cubitum, priuſquam a genitoribus ſuis benedictionem impetraret, cuius voto etiam Purpuratus matrem inuiſit. Munificus, liberalis, pauperes auro iuuat & alimonia. Reginam Sarmatiæ Bononia pertranſeuntem Sal. Anno 1699. muneribus ſumptuoſis excepit. Sic Regio ſplendore Mutinam abiit Legatus de Latere, nuptiaſq. benedixit Reginæ Romanorum, eaq. prudentia Legationem abſoluit, vt inter Scyllam & Charybdim miniſtrorum Principum, laudatus emerſerit. Comitiis adſuit creandi noui Pontificis, & voto ſuo Clementem promouit XI.

4. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo:* 25. Prouer. 11.



IO: Iocobus Canalletinus Romæ natus die 16. Februarii. 639. patre Guarniero Caualletino, matre Veturia Bonauentura Romana, ſub diſciplina Societatis Ieſu, artiū ſtudio liberalium incubuit, atq. ætate nondum maior, Prælaturam induit aulicis gratus ob morum ſuauitatem, & ſermonem opportunum. Minime verboſus Sapientum quærebar colloquia, dictis grauiſſimis claudebat. Breui Locum tenens aſſumptus Auditoris Cameralis, hoc in munere Annos inſumpſit viginti ea fide, & integritate, vt periculo ſui ſucceſſorem non inueniret; donec ab Innocentio XI. Auditor dictus Rotæ Romanæ, ibidem fama iuſtitiæ perſeuerauit vſq. ad Innocentium XII. a quo Archiep. Nicænus, Legatus ad Gallos cum legationem abſoluiſſet ſine querela, die 12. Decembris 1695. Presbyteris adſcribitur Cardinalibus tit. *S. Bartholomęi* Congregationibus Tridentini Concilii; Epiſcoporum & Regolarium: Propagandæ; Signaturæ Gratiæ: Præfectus Signaturæ Iuſtitię, vbiq. cum laude, Romæ fato ceſſit meritorum, ſi non dierum plenus, in parochia ſepultus S. Caroli de Cattinariis abſque epitaphio.

5. *No-*

5. Nouit iuſtus cauſam pauperum: impius ignorat ſcientiam. 29. Prouer. 7.



FEdericus Caccia Mediolanenſis natu, origine Nouarenſis, Camilli filius ex Vrſula Caſati Mediolanenſi, adoleſcens nomen dedit Eccleſiæ, aris deditus quas etiã intra lares paternos quærebat, colebat. Sub diſciplina Patrũ Societatis Ieſu, literis imbutus huma- A nioribus, Arcana timauit naturæ: Inde Duce Nicolao Caſari, rudimenta percurrit Iuriſprudentiæ ſemper cum laude, uam Ticini laurea adeptus V. I. Mediolanum rediit Collegio adſcriptus Iuriſtarum, pari etiam ſubſellio à Nouarienſibus decoratus; inde Romam petens, pauperum aduocatus famam promeruit viri iuſti, & minimè venalis; propterea Aduocatus dictus Conſiſtorialis, poſtea Auditor Rotæ Romanæ, & licet in Rota ſẽper firmo pede conſtans, à legum tramite nunquam aberrauit. ad Hiſpanos Nuntius miſſus Apoſtolicus, dum in ea legatione, Regi gratus arcana abſoluit Eccleſiæ, Archiepiſcopus dicitur Mediolanenſis ob mortem B Cardinalis Federici Viſeontis; Cardinalis tandem S. R. E. tit. *S. Pudentianæ* die. 12. Decemb. 1695. promouente Innocentio XII. R. P. Congregationibus adſcribitur Tridentini Concilij, Epiſcoporum & Regularium; Immunitatis Eccleſ. & Controuerſiarum: Rituum; Propagandæ. Eccleſiam cum procuraret Mediolanenſem, & omnem moueret lapidem pro conſeruanda eccleſiaſtica diſciplina, morbo impetitus ſuccubuit, Sacramentis rite munitus die 23. Ianuarij. 1699. oratione exceptus funebri, a Matthæo Buzzo, in Cathedrali ſepultus Mediolanenſi cum ſequenti epitaphio.

Federicus
Cardinalis Caccia
Archiepiſcopus Mediolani
Pauperibus
Ex aſſe hæredibus inſtitutis
Agens annum LXIV. Obiit XIX. Cal. Feb. MDCIC.

Condito namq. teſtamento, voluit pie decedere vt piè vixit hæreditate in vſum pauperum diſtribuenda relicta. De eo ſcripſit Lazarus Auguſtinus Cotta de Ameno in Muſæo Nouarienſi. *Stanza 2.*

6. Melior eſt obedientia, quàm victima, 1. Reg. 15. n. 22.



THadæus Aloyſius *del Verme*, Italus Placentiæ naſcitur die 16. Februarii dicunt alii X. Maii Sal. Anno 1641. ex Iacobo Comite *del Verme*, Equite Melitenſi & Octauia *Lupi* Soragnę Marchioniſſa Parmenſi, matrona altæ indolis ac pietatis. Natalia dicitur trahere ex domo Sabella Romana, cui cognomen impoſitum *del Verme* Sal. An. 1200. quum Nicolaus Sabellus Draconem occidit, qui ſolo halitu ſternebat habitatores terræ. B Familia inde propagata, Mediolanum alii conceſſere; ſub cuius imperio vrbem moderantur Bobienſem: Oppidum alii Vogheræ, Zauattarelli cum agris adiacentibus: Arcem alii *Olzeſan* ſitu fortiſſimam cum agro *Pianello*, Valle *Pecoraria*, Lazzarello, aliiſq. villis, Feudi titulo: ſub Duce Parmenſi iſti: ſub Mediolaenſi Ducatu illi. Vltra arcem ſupradictam, agrumq. Pianellum, Comitatum etiam Salæ, Vallis Fidonis, Plebem Iucini quæ pagos 32. complectebatur, dotem Luchinæ V. Comitis olim coniugis Petri del Verme, Inſubris Ducis ſororis, tenuere.

Sex Maſculos, & fœminas octo cum ex Octauia C Iacobus Comes del Verme procreaſſet; fœminæ quatuor adhuc ſuperuiuunt, vt ex arbore genealogica

Iacobus del Verme cum Octauia Lupi

Iſabella nunc Alba Columba Monialis Ciſtercienſis	Liberata Fauſtina nunc Claudia Monialis Ciſtercienſis	Clara nunc Iulia Maria Monialis in Romano Monaſterio Deiparæ ſeptem dolorũ.	Catherina Marchionis Nibbiani Maluicini Fontanæ coniunx	Thaddæus Aloyſius Card. S. R. E.	Auguſtus primogenitus caſu cæſus in venatione.	Aloyſius Præpoſitus Clericorum Reg. Tolentin.	Geromontius Præfectus cubiculi Duciſſæ Parmenſis.

D

Pietati Thaddęus deditus a teneris vnguiculis, & genio ſimilis Claræ ſorori, quæ hodie Romæ, nomine Iuliæ Mariæ, nouitias dirigit in regula S. Auguſtini, Domi humanioribus incubuit, voto ſemper ſibi præfixo, teſſeram aſſumendi clericalem, propterea Anno ætatis nooo, Tonſura initiatus ab Epiſcopo Placentino habitum nunquam deſeruit. Pubes factus occaſione rei domeſticæ, Mediolanum miſſus à patre, Romam cœpit cogitare Numine impellente ſuperno, cuius deſiderio victus, Anno ætatis 24. Salutis 1665. datis primo ad genitorem plenis obſequio litteris, Romam venit non ſine

ſine patris indignatione, ad quem literę licet repetitę à filio minimè peruenerant: is tādē æceptis genitor quieuit, donee nouo mærore tentatus ob mortem Augusti filii ſui primogeniti (Aloyſio altero filio inter Clericos Regulares Theatinos iam profeſſo) coactus fuit Geromontē ęconomicę admiſcere. Romæ interim Thaddæus à Ducisſa Latteræ benigne acceptus, cui nexu ſanguinis iungebatur, eius ac viri Principis mortem in gremio excepit; Sic Cardinalium conſanguineorum Farneſii, & Alberici, à quibus omnibus ditatus legatis, ſuperuixit. Romę ſtudia non deſeruit, ſed conatu incumbens maiori, lauream accepit in Sapientiæ Vniuerſitate An. Sal. 1669. genitore orbatus, & quāuis iure gauderet primogenituræ, eruce inſignitus S. Stephani ob Bailatum Placētinum, coniugium cū meditari crederetur, ſolius voto deuotionis, ſacris initiari voluit; nuptiis fratri permiſſis cum Maria Thereſa S. Vitalis, ex quibus quinque neptes ſuſcepit, & ſex nepotes; quibus paterna deſignata hęreditate, pro ciuili familiæ alimonia; redditibus ipſe contentus ſibi relictis à Latteræ Duciſſa, Cardinali Alberico; & dignitatis equeſtris; Salutis Anno 1673. in Germaniam euocatus à Nuntio Alberico Cardinali futuro, cognato ſuo, ob morbum Legati, arcana ipſe direxit legationis. Romam reuerſus comes perpetuus Alberici iam Cardinalis creati, hunc vlnis excepit morientem verbis excitans Chriſtianæ conſolationis, & fraternæ charitatis. Director inde & conſeruator perpetuus Monaſterii a Latteræ Duciſſa erecti, Annos plurimos Romæ ſubſtitit, oculis tamen ſemper intentus, ne in Feudo ſuo miniſtri à iuſtitiæ tramite aberrarent; quò etiam perſonaliter non ſemel deſcendit; vt eis timorem incuteret. Moritur interim Nembrinus Parmenſis Epiſcopus, cuius in ſucceſſorem Thaddæus vocatus a Duce Parmenſi, fratre interprete Geromonte; obiecta virium imbecillitate cum ſe excuſaret, Parmam a Ducibus euocatus, iuſſuſq. cum P. Ghiringhello Ieſuita, de eius aſſumptione colloqui, animo ſemper impauido & conſtanti, non ſolum Ghringhelli, ſed ipſius Sereniſſimæ de Medicis genitricis Ducis Parmenſis preces præteriens domum rediit quaſi oneri impar, & excelſæ incongruus dignitati. Romam reſtitutus pro directione ſui Monaſterii, iterum ſimiliſ dignitatum oblatione tentatus, ad Feudum ſe recepit paternum, vt ibi ſanctè quieſceret in contemplatione vitæ futuræ. Stimulo porrò agitatus ſuperno, quòd nullibi requiem inueniret, Sacerdoti ſuo familiari ſecreta cordis aperuit, conſulens quid agendum, vt ſuperno acquieſceret imperio. Obedientiam iſte cum inculcaſſet, expugnauit tandem, vt ad primam vocationem, manum poneret ad aratrum in agro Domini, nec retro reſpiceret. Paucos poſt dies dati & accepti conſilii, Romam literis euocatus Innocentii XI. vt Fani Fortunæ eccleſiæ præeſſet, caput ſubmiſit, eiq. ſponſus, & gregis paſtor fidelis adſtans, nullo concuſſus turbine, vel terræmotu (quo non bis vrbs iactata contremuit) & quamuis ſecundo ad Parmenſem inuitatus Epiſcopatum ob Saladini Præſulis mortem; gregem deſerere ſibi commiſſum non ſuſtinuit. Vſq. in Annum Salutis 1695. laudabili exemplo, populi plauſu, ſedis incremento ibidem præfuit; vitam ęmulando S. Caroli Borromęi. Pedes cum ſuam luſtraſſet prouinciam, Synodum conuocauit, pro Cleri reformatione, quam moribus & exemplo magis pręſcripſit, quām legibus, Charitate namq. humilitate, prudentia, patientia in operationibus ſuis ſemper effulſit. Bonos deuotione erexit feruenti, legifragos verecundia compeſcuit; vnde minores Clerici cœperunt ſtudia perquirere: maiores
A in congregationibus conuenire Moralium diſquiſitionum. Inopes non tam publicis, quàm occultis fouendo eleemoſinis; virtutem numquàm indonatam remittens, latenter & ſine rumore vitia deportauit. Eius fama cum aures pulſaſſet Innocentii XII. ſolo merito exemplaris regiminis, Presb. aſſumitur Card. tit. *S. Alexij*, die 12. Decembris 1695. Congregationi adſcriptus S. Tridentini Concilii, Epiſcoporū & Regularium; Viſitationis Apo: Nuntio accepto promotionis ſuæ, accitos Confeſſorem ſuum, & præpoſitum Societatis Ieſus, conſuluit, an poſſet purpura licitè abſtinere? quibus obycientibus virtutem obedientiæ; & poteſtati
B non reſiſtendum maiori; acquieuit, dignitatem manſuetudinem decorando, non obruendo. Plures cum recuſaſſet Eccleſias, Imolenſem tandem ſubiit, in qua modò humilis, caſtus, pudicus, iuſtus, plenus fide & charitate numeros implet hominis verè chriſtiani, incorrupti Eccleſiaſtici, ac Paſtoris Apoſtolici. Fani cum degeret, vitam ſemper voluit communem, cum fratribus menſa victitando frugali, in tabulis cubando abſque puluinari; orationi ſemper intentus, nil decernebat priuſquam hoſtiam litaſſet incruentam: frequens in tribunali auſcultabat patiens, aſſiduus in choro officiis omnibus adſtabat diuinis, pœnitentium noxas excipie-
C bat clemens; viſitabat ægrotos, pupillo accurrebat egeno, oculus erat cæco & pes claudo. Iuſtitiæ moderator integer & incorruptus munera non reſpiciens, neq. perſonas, hanc aſſumpſit vt per eam ad cæteras virtutes in perfectione conſcenderet. *In omnibus operibus tuis praexcellens eſto*: adagium illi, cum ſubditos vel amicos excitaret ad ſemitam rectam. Anno Iubilæi 1700. tantum Peregrinis contulit Romipetis, vt pro eorum alimonia currum, equoſq. vendiderit, pedes incedens per vrbem. Hoſpitio aperto in ſuo Epiſcopio cum ſex cubilibus ad excipendos ſacerdotes peregrinos, his aduenientibus illico lauabātur pedes, ignis accendebatur,
D menſa parabatur ciuilis, & thorus celefactus. Die ſequenti Hoſtiam offerebant incruentam, elemoſinaq. recepta ſolueta diſcedebāt ſacerdote præeunte vſq. ad limina ciuitatis. Peregrini Romipetæ collare deferentes coriaceum doloni innixos, in aula publici noſocomii [quam Cardinalis ære ſuo reſtituerat,] paratis duodecim cubilibus ſub cura miniſtri, qui venientes reciperet illico accenſo igne cum cæna mediocri in thorū mittebātur, ſiue adeūtes Romam, ſiue redeuntes; quod ab incunte Autumno

per

per totum Annum Iubilæi ſeruatum. Mortuo Innocentio XII. comitijs adfuit ereandi noui Pontificis, & Clementẽm promouit XI.

7. *Impleuit eum ſpiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, & ſcientia in omni opere,* 31. Exodi 3.



THomas Maria Ferrarius Apulus Manduvienſis in oppido ſcilicet territorii Hidruntini parentibus natus honeſtis, ſed pauperibus, vnde eius genitor negotia gereret magnatis, naſcitur die 2. Nouembris 1649. A a quibus moribus imbutus pietatis non fucatæ, deuotus Virginis Deiparę, cuius imaginem dietim colebat in eccleſia Manduvienſi Dominicanorum. Anno ætatis XV. nomen dedit ſodalibus S. Dominici, inter quos Philoſophicis ac Theologicis eruditus diſciplinis, grãdior factus per triennium apud Apulos, ex cathedra docuit: inde ab eiſdẽ neglectus, & quaſi relegatus in cęnobium nullius nominis, delituit donec in comitijs generalibus totius Ordinis (in quibus Magiſter Generalis electus fuit Antonius Moroij) magno cum honore, & plauſu theſibus propugnatis Theologicis, ab eodem B Generali Regens Studiorum Neapolim mittitur in collegium S. Thomę. Ex hoc collegio, reformationem Prędicatorum meditaote Innocentio XI. Bononiã miſſus Studiorũ Regens, ibidemq. inita amicitia cum Cardinali Pignatello contribule ſuo, eodemq. procurante Romam euocatus ab Innoc. XI. Magiſter Sacri Palatij & Concionator Palatij Apoſtolici, tandem poſt eius mortem, ſedem Petri occupantę Innocentio XII in prima Cardinalium promotione facta die 12. Decemb. 1695. Cardinalis dictus S. R. E. tit. *S. Clementis* vt ei prędixerant Aſtrologi: vere literatus & pius, in quo dolus non eſt, ſanctis moribus purpuram exornat. Diſcite mor- C tales non inhiare diuitijs, ſed ſapiẽtię, quæ theſaurus immarceſcibilis. Neapoli enim cũ Bononiã mitteretur Ferrarius, argento ita pauper & debilis, vt nec obulum haberet in erumena; & niſi Magnates Neapolitani ei titulo eleemoſinę pro Miſſis celebrãdis viaticũ ſubminiſtraſſet, pedes coactus fuiſſet iter arripere ſola diues ſapiẽtia, & pietate. Romę Pontifici adſtat in Cõgregationibus Trid. Cõcilij, Epiſcoporũ & Regulariũ, Examinis Epiſcoporum, Indicis librorum Prohibitorum, S. Officij, Rituum; hoſpitio exceptus in palatio Apo. fructibus auctus Eccleſiaſticis ad decorem dignitatis, Abbatia præcipue S. Bartholomęi in Galdo, in confinibus Beneuenti, hu- D milis, pudicus gemina tinctus purpura, ruboris & vericundiæ, quaſi indignus thronum occupet Cardinalium; propterea Cardinalis dictus illico ad pedes prouolutus Innoc. XII. miſſionem rogauit, licet quieſcere, & parere iuſſus decreto Pontificis, qui eũ Spiritu Sancto afflante ad thronũ vocauerat Apoſtolicum. Magiſter humilitatis, cum Neapoli ex cathedra doceret in conuentu S. Thomæ, Albertum Valentem Apulum ſpiritu tentatum ſuperbiæ & ambitionis, quaſi parem in diſputationibus non pateretur, eo argumento corripuit, & edocuit, vt inde de ſe demiſſe ſentiret. *Fili* (inquit) *nullus homini gradus abſq. ambita, virtute excepta atq. doctrina: quem cumq. namq. librum aperias vel minimum inueniet aliquid tibi nutũ & incognitũ.* Romæ degit in palatio Apo:, eo voto detẽtus vt ad bene viuendũ, & pie moriendum excitet Chriſti Vicarium Innocentium XII. poſt cuius obitum, comitijs adſuit Clementis XI. regnantis Pontificis. Emolos paritur, qui in promotione Cardinalium Ferrario poſtpoſiti, natalia ſolumodo redimendo proclamant; quaſi & nobilitati non ſatis ſola & ſolida virtus.

De eo lege Michaelem Caualerinum *in Galleria ſum. Pontif. & Cardinalium.*

8. *Labor eſt ante me.* 11. Pſal 16.



IOſeph Sacripãtes Italus Narnienſis die natus 19. Martij Sal. An. 1642. Hyacinti filius ex Victoria Sanali vt ſuam vrgeret fortunam, Romã venit, vbi in familiã aſſũptus Hieronymi Prioli Veneti patritij, & Rotæ Auditoris, ſub eo cancellos aſſidue percurrit Iuriſprudentię. Defuncto Priolo, cauſas tractauit litigantium, ea ſama atq. exiſtimatione, quòd eius patrocinium tota ambiret Italia. hinc ab Innocentio XI. R. P. motu proprio Aduocator aſumptus Conſiſtorialis menſe Decembri 1683. Anno verò 1687. iterum motu proprio, ab eodem ProDatarius & Canonicus Lateranenſis, munere ſuo fideliter functus, Anno ſequenti (qui fuit Sal. 1688) Abbreuiator Parci Maioris, vices gerens Auditoris Pontificij (dum *Arrighius* morbo fatigaretur) funus celebrauit Innocentii XI. a cuius ſucceſſore Alex. VIII. menſe Octobri 1689. in munere confirmatus ProDatarii, Exomide ornatus *Ponentis in Signatura*, Prælatus declaratur domeſticus Alexandi 8. Mortuò Alexandro, ab Innocentio XII. iterum Prodatarius confirmatus, & Secretarius electus Congregationis Auenionenſis cæteriſq. adſcriptus Congregationibus Conſiſtorialibus eiſque omnibus, quæ pro bono regimine, & Curię reformatione a SS. cogebãtur in Domibus Cardinalium, vel in palatio Pontificio, vſq. ad Annum 1695. quo, Fabrono in Congregatione Fidei Propagandæ aſumpto Secretario; ſubrogatur Sacripantes in Memorialium Secretariatu. Die tandem 12. Decembris 1695. ab eodem Innocentio XII. Presbyter Cardin. dictus *S. Mariæ Traſpontinæ*, Congregationi præfectus Trid. Concilii, Congregationibus adſcriptus Propagandæ, Signaturæ Gratiæ, Rerum Cõſiſtorialium, Epiſcoporum & Regulariũ, Eccleſiaſticæ Immunitatis, atq. Cõtrouerſiarum, eo plauſu, vt ipſo inconſulto nil ardui decernatur. Duobus ante ſuam promotionem menſibus, cum Hoſtiam litaret incruentam in altari B. Virgini *Bona hora* ſacro, Columba templum ingreſſa, in humeris quieuit Sacripantis, nec inde receſ-

ſeceſſit, quàm violentia Capellani adſtantis abacta Ex tantis dignitatibus nullam Sacripãtes quæſiuit; præmium verò aduenere virtutis, modeſtiæ, charitatis erga Miſſionarios, quos præcipuè verbo ſemper iuuit & auro, propagandi Euangelii auidus, & ſemper intentus. Nobiles pauperes Romam venientes, Regulares mendicantes numquàm dimiſit vacuos.

Congregationi adſcriptus pro inſtaurandâ Regularium diſciplinâ; Viſitationi præpoſitus Eccleſiarum Societatis Ieſu, S. Mariæ in Via Lata, S. Mariæ Ægyptiacæ, Armenorum; Protector Carmelitarum, Græci Collegij, Hoſpitij Apoſtolici;
A arcanorum interpres Reginæ Sarmatarum, Reipublicæ ſemper intentus Innocentium XII. R. P. habuit in partibus, de induſtria, fide Cardinalis ſecurum. Comitijs adfuit Clementis XI. à quo Datarius aſſumptus theſaurum diſtribuit Eccleſiæ, dignitates & beneficia, quæ præmia debant eſſe virtutis.

Gemini ei fratres Hiacynthus atq. Philippus Aduocatus iſte Conſiſtorialis, veſtigia tenet fratris Eminentiſſimi. Aſceticæ ille deditus contemplationi inter Carmelitas Diſcalceatos S. Thereſæ, dum dignitates fugit, opprimitur, Procurator
B torius Ordinis aſſumptus Carmelitarũ Diſcalceatorum, ea tamen Monaſtices diſciplina, vt protoparentis ſui Heliæ effigiem reponat.

9. Fructus honoris & honeſtatis,
24. Sapientiæ 23.



D. Cæleſtinus Sfondrati Mediolanenſis, nepos Gregorij XIV. R.P. familia licet nobili, & perantiqua

Iam didicit non Maiorum modò ſanguine niti,
Aut Atauum titulis; non oſtentare paternis
Dumtaxat famam alterius, per limina certis.
Verum eſt, Sola illum Generis potuiſſet origo
Et patrius decor æternis tranſmittere ſæclis;
Sed melior ſtrinxit iuuenilia corda Prometheus.
Quàm qui ſplendorem cunctis natalibus omnem
Debeat, & tantum tritaui monumenta Gigantis,
Non erecta ſuis vident monumenta trophæis.
Atque ideo tenero ſpræuertens ordine curſus,
Ipſe repleturus pulchram virtute iuuentam
Mox facili ingenio mea, Muſarumq. ſecutus
Caſtra, Boni Superi! quàm nobile mentis acumen
Emicuit, quàm grande iubar, certumq. ſagacis
Indolis indicium?

annorum namq. XII. adoleſcens in Germaniam miſſus, exoticum ſed neceſſarium edoceretur idioma, Roſaci ad lacum Acronium in contubernio aliorum nobilium adoleſcentum, ſub cura Patrum Sangallenſium, prima ſtudiorum rudimenta poſuit. Generoſa ac feruenti indole cum eſſet, præſtantia ingenij omnibus longe ſuperior, Biennio Roſaci, literis & pietate imbutus amorem religionis Benedictinæ concepit, petiitq. in monaſterio S. Galli recipi inter alumnos, qui antequam in tyrocinium admittantur, vno alteroue Anno, ſpiritus & vocationis ſuæ documenta dare ſolent. Monachum demum indutus exacto legitimo tyrocinij tempore, Religione, Monaſticæ diſciplinæ obſeruantia omnibus exemplo, & doctrina admirationi fuit, adeo vt nondum ſacerdotio initiatus, Campidonæ, Theologiam docuerit, inde domum retrogradus Philoſophiam, Theologiam, & Ius Canonicum interpretatus, S. Gallo doctiſſimos diſcipulos dedit. Quos in doctrina inſtituerat, eoſdem in religioſæ vitæ exercitiis inſtruendos ſuperiorum imperio, finito Theologiæ curſu ſuſcepit factus Iuniorum Profeſſorum & Nouitiorum Magiſter. Quanta porro ſolicitudine, & fructu hoc munus obierit; ipſius vita cum virtute exacta abunde loquitur. Ex domeſticis parietibus in publicam arenam tandem eduxerunt Moderatores Vniuerſitatis Salisburgenſis, qui doctrinæ eius fama exciti explicandum Ius Canonicum euocarunt, qua prouincia
B prius Theologiæ & I. V. laurea donatus, publica fama, eaq. auditorum frequentia defunctus eſt, vt locus auditoribus anguſtus cederet.

Atque ideo paſſim ſtudijs excita iuuentus
Auguſtum, Themidis ſacrata palatia circum
Tanto diſcentum numero cumulauit, vt amplo
Quamuis, non tamen immenſam capiente cateruam
Limine Palladio, per apertas ſæpe feneſtras
Affuſa aut foribus deberet plurima turba,
Calcibus inſiſtens, Sfondratum audire docentem
Scilicet Autumni ſic primo frigore Progne
Cum gruibus fugiens glaciales Strymonis vndas,
C *Turmatim & denſo tepidum petit agmine Nilum:*
Sic vbi verna ſuum pandit Dea Flora theatrum,
Et bellè picti iam rident floribus horti,
Conuolat & ſtrepitis glomerat ſe plurima pennis
Cecropij ſtudioſa fami p'ebecula; flores
Occupat, vnde ſuas diſtendat nectare cellas,
Fragranteſq. legat ſuccos, dulcemq. medullam,
Et talis concurſus erat; cum publica luce
Spargeret in dociles Sfondratus ſemina mentes.

Cumq. ea tempeſtate Salisburgum, quatuor propoſitiones Cleri Gallicani allatæ eſsent; Archiepiſcopus eas Vniuerſitati refutandas tranſmiſit; obti-
D gitq: Veritatis defendendæ gloria Cæleſtino, qui nobili libro, titulus *Regale Sacerdotium* dignitatem Pontificiam à contumelia vindicauit.

Salisburgo reduci, virtutem Abbas experturus, Roſacum ire, & in vicino monte Sarelli, ruſticorum curam agere iuſſit, diebus Dominicis, ac Feſtis ſacra obeundo & ad populum lingua dicendo germana. Abeſt hoc ſacellum a Monaſterio Roſacenſi leuca Germana, ſitum in monte, itinere difficili, quod pedes conficere ſolebat, & Cælo plu-

Tom. V. Card. I

pluuio, equo vehebatur. Interea, dum eo munere fungeretur, Philoſophiam compoſuit typis Sangallenſibus excuſſam. Abbas patientiam eius & virtutem honoraturus, illuſtre hoc ſydus è tenebris in lucem tranſtulit, nam ad S. Gallum, reuocatum Vicarium in ſpiritualibus Generalem conſtituit, quo in munere, prudentia, zelo promouendæ religionis, & ardore ſanciendæ diſciplinę eccleſiaſticæ plurimum enituit, a Clero pariter amatus obſeruatuſq. Innocentius ipſe XI. P. M. zelum eius, quem in defendendo iure Pontificio oſtenderat, Epiſcopatu Nouarienſi remunerauit: At cum pręter expectationem ea dignitas fuit, tam humiliter generoſeq. eam a ſe amoueri conatus, ſcriptis ad Cardinalem Cybo literis deprecatus, vt ſua opera apud Pontificem intercedente, ne ex humili quietaq. Monaſtices vita in publicas curas raperetur. Verum reiectæ preces inuitum ſuſcipere coegerunt. Dum porrò adire ſe parat; longæua ſenectus Abbatem S. Galli ad tumulum, Cæleſtinum vocauit ad Mitram. Renuntiato itaq. Epiſcopatu Abbas creatus nihil de ſtudio in ſummam Sedem remiſit; nam iura Abbatiæ cum zelo tuendi ius Eccleſiæ partitus, illi diem, huic noctes impendit, ex quibus eruditis vigilijs nati ſunt libri publico applauſu excepti

Gallia Vindicata.
Regale Sacerdotium auctum
Legatio Lauardini
Hiſtoria Nepotiſmi
Nodus Prædeſtinationis diſſolutus
De Regalia

& qui in Pontifice filiam tuebatur, nec matris oblitus eſt, quam à labe originali puram, innocentemq. vindicauit libro edito elegantiſſimo, ac hieroglyphicis exornato, cui titulus *Innocentia Vindicata*, ſeu *de Imaculata Conceptione*. Paſtoralis demum cura contra morum corruptelam expreſſit opus

De Probabilitate

& vna contra Hæreticos diſſertationes

De Baptiſmo Infantum

Imperfecta reliquit duo opera

Atheiſmi Hiſtoriam, & diſſertationes

contra peſtilentem librum Hideggeri Tigurini, cui titulum fecerat, *Meretrix Babylonica*. Reliquit etiam tres tomos manu ſcriptos *Comment. in Ius Canonicum.* Erant opera iſta partus vt plurimum nocturnarum vigiliarum, publici namq. muneris ſui vt Princeps & Abbas minimè oblitus oſtendit vtriq. ſe parem eſſe; quippe ad inſtaurandam diſciplinam Eccleſiaſticam, Roſaci conuentum Parochorum ditionis egit S. Galli, editiſq. conſtitutionibus Religioni, & diſciplinæ conſuluit. Singulis primis Menſium Dominicis ad populum dixit non in S. Galli Baſilica dumtaxat, verum in vicinas etiam parochias progreſſus tanquam fidelis pater familias ſubditis ſuis triticum verbi diſpenſauit diuini.

De Iuſtitia non minus quàm de Religione ſollicitus, eam in iudicandis reorum piaculis curam habuit, vt ab ea nullo perſonarum vel magnatum reſpectu, nulliſq. precibus abduci poſſet. Delinquentibus, in quos publica pæna animaduertendum erat, cum vitæ gratiam largiri haud poſſet, ad mortem fortiter, patienterq. ferendam publicis precibus & ſacrificijs accurrebat, poſt mortem piacularibus ſacris iuuabat.

Pauperum cura illi maxima, & in eos liberalitas Cum enim Coſareani in Heluetios ſeu Gallici nominis ſtudioſores vindictæ cupidi, lacum Conſtantienſem celocibus armato milite inſtructis infeſtum reddidiſſent, annonę inopia laboratum eſt. In hac A publica calamitate amor emicuit paternus, quo ſubditos ſuos complectebatur; quorum ne vllus fame periret; Eleemoſinarium ſuum totius ditionis pagos, vicoſq. obire, inopum, ęgrotum, ſenum, infantium numerum inire, & in ſingula capita, quauis Septimana certum panem, farinam decernere iuſſit; quin ingraueſcente hyeme veſtitu, ligniſq. ad parandum focum ſubuenit, ſuiſq; in mandatis dedit, diligenter inuigilarent, ne quis fame, frigoreq. periret. Hæc charitas vltra triconium Cæleſtinum occupatum habuit: ſubductiſq. rationibus coopertum, in Monaſterio S. Galli dumtaxat, in pane, farina, octo florenorum in Annum impenſa, B pręter pecuniam, viuum, veſtimenta, medicinas &c. quæ liberali manu diſtribui iuſſerat; eamdem charitatem in cæteris Monaſteriis a Prępoſitis, & Præfectis exerceri volens. Omitto Infantes parentum deſtitutos ſolatio, eius ſumptibus educatos: quę charitas cum ei publicum conciliaſſet amorem, ę S. Gallo diſcedentem publicis lacrymis deplorarunt.

Cum ſuis Religioſis potius vt indulgentiſſimus pater, quàm Abbas agens, nihil pro imperio decernens, ſed rogantis & ſuadentis more, ſi quem cenuentem aut repugnantem imperatis offenderet, vinci ipſe malebat, quàm vincere. Eoſdem menſtruis exhortationibus ad pietatem excitabat, C ægrotorum ſolatio nullis ſumptibus parcebat, & large omnia ſubminiſtrari volebat. Officiis Diuinis Ante meridianis, cum pro negotiorum mole, raro intereſſe valeret; Veſperas & Completorium, ſepoſitis omnium curis frequentabat.

Quæ vitam eius priuatam & pietatis exercitia ſpectant, pauca in publicum emerſerunt, cum ſemper ſummo ſtudio, & arbitrantium oculis ſubduceret; vnam occulere non valuit. Singulis Annis Leproſos inuiſere ſolitus, eos breui adhortatione ad Chriſtianam patientiam & morbi ignominiam pie ferendam cum animaſſet, ad eorum pedes proſtratus ſingulis oſculum imprimebat, largaq. eleemo- D ſina donabat. Ea cibi potuſq. parſimonia alebatur, vt nunquam vel leuiter exceſſiſſe notatus fuerit; obſeruarumq. cibos ſuauiores, quibus eũ affici certum erat, in inſtrumenta vertiſſe mortificationis, Ira, ad quam natura propenſiorem fuiſſe conſtat, vix alio, quàm felici illo indicio ſe ſe prodidit, quòd frequenter offenſas beneficiis compenſaſſe viſus ſit, Cæterum quàm ſeuere in ſeipſum animaduerterit, a morte viſum; & geminis flagellis, quæ ſtellis argen-

genteis intexta copioſo ſanguine erubuerunt, & cilicio è filis ferreis contexto, quod aduncis cuſpidibus horridum, haud dubie latera eius graui dolore lancinabat.

Tantis virtutibus cognitus Innocentio XII. P.M. purpura ab eo ornatus presbyterali, die 12 Decemb. 1695. Abbatiam depoſuit S. Pauli, Romam aſcendens, valitudine iam per Annum petitus aduerſa, cui infra ſex menſes ad extrema deductus ſuccubuit. Supremum morbum inuicta conſtantia Principe digna Eccleſiaſtico & reſignatione exhauſit: A quin cum de recuperanda ſalute ſpes inijceretur, aiebat; *Si ex voto meo agendum eſſet; mallem ego mori, quàm viuere: quid enim in hoc mundo præter labores, & pericula Deũ offendendi lucramur?* Cum de omnia debilitate lamentanti R.P.Carſuchi Ieſus Chriſti agonizantis verba ſuggereret; *Triſtis eſt anima mea vſq. ad mortem*; repoſuit. *Non ſum triſtis, ſed afflictus. Triſtitiam meam triſtitia Chriſti ſanauit.* Prælegi ſibi voluit orationem dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Nicænum, idq. tractim & moroſè. Viatico refectus Euchariſtico, ad circumſtantes dixit: *duæ ſunt cauſæ, quare mors mihi grata accidat: prima eſt, quod in ſtatu me ponat, in quo Deum* B *amplius offendere non poſſim: & hanc gratiam pluris facio, quam omnia bona ſpiritualia & temporalia: quæ per omnem vitam facere potuiſſem. Altera eſt; quod cum Deo infinitis titulis obſtrictus ſim, nihilq. habeam, quo meam erga eum gratitudinem profitear, hanc ipſum mortem eidem in ſignum ſupremi in me Dominij offerre poſſim.* Rogatus a medico num liberet iuſculo vuæ inſtaurari? reſpondit. *Equidem non appetere, nec cupere niſi obedientia iuberet.* Opuſculum *de Prædeſtinatione*: quod tunc ſub prælo erat, iam antea S.S. Pontifici tranſcriptum, per D. agentem Ferle, quem ad ſe vocari iuſſerat, Magno Hetruriæ Duci enixe commendauit. Hęc fuit ſuprema rerum temporalium C Optimi Cardinalis cura.

Denique quarta Septembris, hora noctis 4. cum antea deficiente iam voce ter SS. S. A. M. nomina inuocaſſet, & Angelicam ſalutationem recitaſſet, defixis in Cœlum oculis, ſubridente ore quietiſſime expirauit Anno ætatis 52. Chriſti 1696. Romę ſepultus in eccleſia ſui Tituli, ære publico, expenſas funeris Camera ſoluente Apoſtolica. Religioſę namque cuſtos paupertatis, hoc vnum deſiderauit, aliquid habere, vt familiaribus ſatisfaceret.

De eo lege Muſas Salisburgenſes libro, cui titulus, *Arbor fœcunda* emblematibus affabrè ſculptis exarata, dulci explicata Poeſi, tanti Cardinalis di- D gnum tropheum.

Epitaphium ſibi poſitum a Cardinali Sfondrato

Paulus tit. S. Ceciliæ, S.R.E. Presb. Card. Sfondratus, miſerrimus peccator, atq. eiuſdem virginis humillimus ſeruus, ad eius pedes humiliter requieſcit. Obijt Anno 1698. Die 6. Menſ. Aug. Orate Dominum pro eo.

10. Ægredere de terra tua, & de cognatione tua, & de Domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi; & faciam te in gentem magnum &c.

12. Geneſ. 1.



FR. Henricus de Noris Lombardus Veronenſis, natus die 30. Auguſti. 1630. ex Alexandro de Noris, & Catharina eius vxore, parentibus honeſtis, eodemq. die aqua luſtratur Baptiſmali in eccleſia S. S. Quirici, & Iulitæ, à puero literis incubuit, Monachis S. Auguſtini nomẽ dedit Annos natus 14. Piſauri Philoſophiam audiuit, inde altiora petens, inter Theologos nomen grande ſibi quæſiuit ea fruge, quòd Romam veniens, a Patre Generali ſub Pontificatu Innocentij X. Patauium mitteretur *Studiorum Regens*, vbi librum inſtruxit, cui titulus *Hiſtoria Pelagiana; diſſertatio de Synodo. V. Œcumenica; in qua Origenis ac Theodori Mopſueſteni Pelagiani erroris Auctorum iuſta damnatio exponitur: & ſciſma deſcribitur Aquileienſe*. Adduntur *Vindiciæ* Auguſtinianę pro libris a S. Doctore contra Pelagianos & Semipelagianos ſcriptis. Patauii 1673. typis *Petri M. Frambotti*. Priuſquam tamen typis daretur Romam a P. Inquiſitore liber traſmiſſus, vt cribrum ſubiret S.S. Inquiſitionis, cui Cardinalis præerat Caſanata; Romam auctorem libri vocarunt, vt dificultatibus ſatisfaceret: quibus breui expeditus, famam auxit magni Theologi, titulo donatus Qualificatoris S. Officii a Romano Pontifice. Patauium reſtitutus licet ab Accademiis celebrioribus gratulatoria honeſtatus. cenſuram ſubiit Gallorum Regis, a quo Lutetiæ Pariſiorum nouam libri impreſſionem factam Rex Ludouicus XIV. non ſolum prohibuit, ſed impreſſores correxit, inſtantibus (vt dicitur) Patribus Ieſuitis. P. Franciſcus Macedo, Luſitanus natus Coimbricenſis, profeſſione Ieſuita, poſtea Minoris Obſeruantiæ S. Franciſci *to. 2. Collationum doctrinæ S. Thomæ ac Scoti; Collat. X. diſſer. 1. pag. 579.* de eo honorifice loquens ſequentia ſcripſit: *Accedit illuſtris & recens auctor Auguſtinianus P. Henricus Noris Veronenſis, qui in ſuo erudito libro* de Hiſtoria Pelagiana, nunc in lucem *edito, eo tractatu, quem inſcribit Vindiciæ Auguſtinianæ, eamdem Auguſtini doctrinam tradit, munit, confirmat magna & inuicta S. Patrum auctoritate*. Sic diſſer. 3. eiuſdem Operis p. 595. *Atque ob id cum eo expoſtulat P. Henricus Noris in ſuo præclaro tomo de Hiſtoria Pelagiana, tractatu de Vindiciis Auguſtinianis, recens in lucem edito.* Sic pag. 566. *Accedit nouus & clarus ſcriptor Noris in ſuo libro de Hiſtoria Pelagiana nunc in lucem edito.* Pag. 597. *Remitto lectorem ad eruditiſſimum P. Henricum Noris &c.*

Idem Macedo in ſuo reſponſo ad notas nobilis Critici Anonymi, in apologia R. P. F. Thomæ Mazzę pro Io: Annio Viterbienſi, pag. 109. *Inſpiciat inter Patres Auguſtinianos Patrem Henricum Noris in Scholis Theologicis, Eccleſiaſticis ſpatys verſatiſſimum, qui ſpes Ordinis Altera & Vrbis, magno ſuccedit Onuphrio, & nuper inſigni edito de Hiſtoria Pelagiana volumine, ingentem ſibi gloriam comparauit.*

Quid poſtea inter P. HenricumNoris, & Fr. Macedo contigerit, vnde tantis opuſculis in lucem editis mutuo certarunt; Lectorem ad libros typis datos remito. Reipublicę namq. literarię venerabilis ſemper cum fuerit eruditio P. Henrici Noris; Laurentius Panciaticus Canonicus Cathedralis Florentinę, ſuo & communi plauſu, dum pro approbatione, Opuſculum legeret Vindiciæ Aug. *Perſpicua dictione acri ingenio, limato iudicio, ſolidiſq. rationibus, doctiſſimus Auctor huius erudita epiſtola (quam luce digniſſimam cenſeo) veritatem illuſtrat antiquitatis caligine merſam, atq. incomparabili modeſtia, dum Cenſoris partes egregiè ſuſtinet, docet, & non pugnat*, teſtis Orbi acceſſit virtutis, & veritatis.

Ex hiſce concertationibus ſurrexit Noriſia virtus, velut palma quæ onerata velocior reſurgit. Macedo namq. virtute eximius, ſed fortuna puſillus, pene deſperatus occubuit. P. Noris a M. Hetruriæ Duce in Piſanam vocatus Vniuerſitatem vt ibi publice edoceret. Hiſtoriam aſſumpſit peruagandam Eccleſiaſticam, quam cathedram Princeps in gratiam P. Noris erexit, ſtipendio annuo deſignato 400. Coronatorum. Ibi cum Princeps Ferdinandus geminos expoſuiſſet lapides Sepulchrales in agro repertos mortuorum Vrbis Florentiæ, campum ſubuit ampliſſimum eruditionis antiquæ, cuius gratia librum inſtruxit ſub titulo *Cenotaphia Piſana*, Venetiis editum apud Baleonios. Sal. Anno 1681. quo non ſolum Hetruriam ſibi cõciliauit, ſed omnes Vltramõtanas Academias. Eodē Anno cū Romę munus ſecundi cuſtodis Vaticanæ Bibliothecæ vacaſſet, vocatus Noris ſe excuſauit, quod cathedra oneratus Piſana. Luſtrabat interim lucos antiquitatis, effoſſiſq. pluribus nummiſmatibus Syro Macedonum, librum edidit *de Apochis Syro Macedonum*. Ad thronum poſtea aſſumptus Pontificium Innocent. XII. Officium ſacriſtæ Pontificii vacans ob mortem Euſanii. P. Noriſio deſignauit: a quo modeſtè iterum ſe excuſans; vocatus tertio Bibliothecę cuſtos Vaticanę, M. impellente Hetrurię Duce, acquieuit Romam aſcendens, Sal. An. 1692. dumque ibi in conuentu S. Auguſtini munus implet, ſepè pro dubiis dogmatibus a S. Congregatione conſultus, ab eodem Inn. XII. Conſultor aſſumptus S. S. Inquiſitionis, dum ſe excuſare conatur gemino oneri ſatisfacere non poſſe, obedire iuſſus in virtute S. Obedientiæ, æmulos excitauit libello per ipſos edito ſub titulo *Scrupoli*: in quo Ianſeniſtā Semipelagianū appellāt. Difflauit calumniā reſponſo edito extemporaneo cui titulus *Diſſertatio Hiſtorica*: eodemq. tempore, ad quietem ſe componens, vt aulicam declinaret tempeſtatem, miſſionem rogauit, vt vitam clauderet religioſam in clauſtro. Negauit Papa, quod Cardinalem deſignaſſet, declarauitq. die 12. Decemb. 1695. tit. *S. Auguſtini*, adſcripſitq. Congregationibus Tridentini Concilij; Epiſcoporum & Regularium; Examinis Epiſcoporum; Indicis librorum prohib. S. Officii; Rituum; Propagandæ; quibus incumbens, Vaticanę etiam præſidet Bibliothecæ, ſcribendo ſemper intentus.

De eo lege Ioſeph *Mariam Suarez* in ſuo *Corollario de* Pſalterio Baſilicę S. Petri. *Chriſtianum Lupum* in ſuis opuſculis. *Octauium Ferrarium* par. 3. ſuarum Proluſionum; & in ep. ad Iacobum Gronouium. De *Animi immortalitate* f. Dicauit ei Michael Angelus Fardella Venetiis, Sal. Anno 1698. Commentaria Proſperi Fagnani in quinque decretalium libros Paulus Baleonius, Sal. An. 1697. Venetiis epiſtola pręmiſſa dedicatoria, digna Principe Cardinali.

Comitiis adfuit Clementis XI. in quibus & ipſe candidatus apparuit.

11. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt: & non tanget illos tormentum malitiæ.*

Sap. 3.



IO: Baptiſta Spinula Lygur, Genuæ ex vmbra mortis mortalem ſurgit ad vitam die 3. Auguſti 1646. nepos Iulii Spinulæ Card. S. R. E. Epiſcopi Lucenſis, ad Cæſarem Nuntii Apoſtolici, quem Viennam ſequutus, Imperatorem nactus benefactorem, Eques dicitur Clauis Aureæ, humanitateq. ſua conciliatis ſibi Germanis Romam rediit aris deditus, vnde veriuſq. Signaturæ Referendarius a ſecretis datus Congregationi Sacræ Conſultæ, ſub pœna capitis arma interdixit, mucrones pręcipue acuminatos, quo cępit benè audire apud Innocentium XI. R. P. à quo Vrbi Romæ Gubernator præpoſitus, iuſtitiæ æquilibrio, carcere datis pluribus Magnatibus, birronibus quocumq. immiſſis, nullo perſonarum permiſſo diſcrimine. Inſignibus præteritis vel deiectis ex ſuperliminaribus domorum, ſublato qualicumq.

cumq. immunitatis priuilegio *libertatem Romæ reſtituit, Romam Pontifici*. In iudiciis clauſis oculis & auribus Romanum ipſum non reſpexit Pontificem, cui gratiâ reſeruabat, & indulgentiam, nonniſi iuſtitiam ipſe ſibi permittendo. Die itaque 12. Decemb. 1695. teſtimonio virtutis in promotione Cardinalium prima, purpura ornatus Diaconali *S. Cæſarei*, quo cognomento diſtinguitur ab alio Io: Baptiſta Spinula Card. *S. Cæciliæ*, qui & ipſe Romæ Gubernator præfuit, vterque cauſa promouendi Rempublicam & cuſtodiendi innocentiam, medio tamen diuerſo; clementia iſte, iuſtitia ille. Cardinalis *S. Cæſarei* ſub Innocentio XII. Cardinalis *S. Cæciliæ* A ſub Innocentio XI. Quorum nomina propria *Io: Baptiſtæ*; immo & gentilitia *Spinula* cum ſint communia e hac nominum confuſione, confuſa etiam geſta, & opera. Dictus enim *Io: Baptiſta Spinula Cardinalis S. Cæciliæ*, n. 1. ſub Innocentio XI. to. 4 p. 421. Legatus Bononienſis; quod falſum: vterque enim Io: Baptiſta Spinula Cardinales viuunt S. R. E. vterque Romæ præfuit Gubernator, ſed ſolus Card. Spinula D. *S. Cæſarei* fuit Bononienſis Legatus, non autem Cardinalis *S. Cæciliæ*: quod adnotatum habeas, vt errorem corrigas a me commiſſum in Io: Baptiſta Spinula Card. S. R. E. n. 1. p. 221. ſub Innocentio XI. Legatione functus, Romam rediit vt Camerlingus Apoſtolicus rationes ſupputaret ærarii, prauas conſuetudines euellendo, quæ titulis larbatæ commentiis in ſpolium irrepſerant Sedis Apoſtolicæ. Congregationibus adſcriptus Tridentini Concilij, Sacræ Conſultæ, Fabricæ S. Petri, Eccleſiaſticæ Immunitatis, Controuerſiarum, ſua integritate, prudentia, Reipublicæ cognitione, morum probitate, doctrina eam ſibi conciliauit laudem, vt mortuo Innocentio XII. in comitiis coactis pro electione noui Pontificis, candidatus & ipſe ſuffragia propitia retulerit vnum ſupra triginta. Electus tamen Io: Franc. Albanus nomi. e Clementis XI.

De eo lege epiſtolam dedicatoriam Fr. Vincentii Coronelli Minor. Obſeru. Magiſtri Generalis operi prefixam, cui titulus *Tauola Sinotica de Cardinali*.

12. *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Sap. 4.



Dominicus Taurufius, gente nobili apud Hetruſcos, quæ ad aulicos Porſennæ Regis natalia refert (teſte *Caio Viberta in Annalibus Porſennæ Regis*) inter ſe diuiſa quandoq. *Taurifana*, modo *Taurufia*, vel *Taragia* dicta, eodem tamen retento ſtemmate, *Tauro* ſcilicet *in campo cæruleo*, ornata literis, decora armis, & in vtroq. foro clariſſima ob morum innocentiam, & Reipublicæ peritiam. Inter Prælatos, purpura effulſit Cardinalitia *Franciſcus Maria Taurufius* diſcipulus S. Philippi Nerii, Archiep. Auenionenſis, Card. S. R. E. Archiep. Senenſis. Innocentia floruerunt Bartholomæus Taurufius, qui in Montepolitiano B titulo colitur *Beati*. Dominica Taurufia quæ voto obſtricta in aſceterio S. Pauli, Oropiti, Monaſterium poſtea erexit S. Bernardi in Monte Politiano, & titulo decoratur Venerabilis in *Chron. Dominicano*. Maria Virginia Pompilii filia Monialis S. Pauli Oropitenſis; cuius cadauer adhuc incorruptum cuſtodiunt. Neceſſitudine iuncti Taurufii cum Romanis Pontificibus Iulio III. Pio III. Vrbano VII. Marcello II. cuius ſororium Hieronymum Taurufium exhibent Proauum Dominici Cardinalis. Oropitum cum ſeceſſiſſet Hieronymus ex Ioanne C Maria filio Pompilium procreauit nepotem,

ex quo

Io: Maria — F. Hiacyntus Venoſæ Ep. — Sfortia Archid. Oropiten. — Carolus — Franc. ex Cathar. Ardiciola

(ex Franc. et Cathar. Ardiciola:) Dominicus Card. S. R. E. — Io: Maria — Michael Angelus — Io: Marcellus — Bartholomæus — Maria Hiacintha — M. Victoria — M. Virginia

Naſcitur Dominicus die 25. Ianuarii 1638. Ferrariæ ex ſupradicto Franciſco & Catharina; Oropiti educatus Romam venit ſtudiorum cauſa, vbi obtentâ Iuris vtriuſq. laureâ, Auditor Apoſtolicæ legationis abiit ad Luſitanos, mandante Innocentio XI. R. P. inde Aduocatus Conſiſtorialis, gradatim Vicarius Auditoris Cameræ, regnante Innocentio XII. Auditor Rotæ Romanæ pro Hetruſcis, famam ſibi conciliauit verſatiſſimi Iuriſconſulti, aulicíq. prudentiſſimi, tandem die 12. Decemb. D 1695. Presb. Card. *tit. S. Mariæ de Scala*, Epiſcopus Ferrarienſis, vbi morte immatura obiit die 27. Decemb. 1696. dum pro cura paſtorali, grandia & ſalubria meditaretur. De eo lege dedicationem *deciſionum Rotæ Lucenſis* collectarum per Hieronymum Palma nepotem, Lucę apud Hyacintum Pauium.

12. *Tu-*

12, Turris fortiſſima, nomen Domini: ad ipſam currit iuſtus, & exaltabitur,
18. Prouer. 10.



HEnricus de la Grãge & Arquini Gallus die naſcitur 13. Aprilis. 1609. à puero caſtra ſequutus, Crucem ſumpſit Hieroſolymitanam, cuius triremibus ter nauigauit in Barbaros. In Galliam reſtitutus, equitum centurio dictus vxorem duxit de gente Carreſia ſanguine clara, ex qua ſeptem liberos procreauit, inter quos tres fœminas, vna quarum nupſit Io: Sobieſcko, qui ad regnum exaltatus Poloniæ coniugem coronauit. Henricum verò Ludouicus XIV. Gallorum Rex Equitem creauit S. Spiritus. Turcis poſtea Viennæ Auſtriæ incubantibus, & quaſi expugnate, throno Ioannes relicto accurit fortis, pugnauit ſtrenuus, triumphauit victor obſidione ſoluta, Turcarum Legionibus diſſipatis, hoc intercedente Henricus mortua coniuge Abbatia donatus, Cardinalis etiam Diaconus dicitur ab Innocentio XII. die 12. Decemb. 1695. ætatis cum eſſet Annorum 86. die namque naſcitur 13. Aprilis. Salutis Anno 1609. Filiam comitatua Reginam in adorationem Innocentii XII. R.P. Sal. Anno 1699. poſt huius obitum, comitiis adfuit Clementis XI. Romæ Regina ſtante.

13. Hinc curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus. 19. Pſal. 8.



BAlthaſſar Cencius patritius Romanus familia nobili perantiqua, Romæ naſcitur die 14. Ianuarii 1648. ex patre Virginio Cencio, & Maria Victoria Veroſpia, nepos Tiberii Cencii Card. tit. *S.Calliſti* ſub Innoc. X. qui ob morum candorem ſydus fuit lucidiſſimum purpuræ Romanæ. De eius antiqua nobilitate lege Eugenium Gamurinum H. Genealog. p. 159, & 290. Muſis totus

attentus, Legiſlator profundus, Canoniſta venerandus, eximius Theologus, Controuerſiſta acerrimus, Poeta venuſtus Theologiam compilauit vniuerſam, & titulos omnes quæſtionum Summæ S. Thomæ Diſticis abſoluit Latinis. Hiſtoriarum omnium Comeſtor compendioſus iura indagauit non tam Eccleſiæ, quàm Principum ſæcularium, ſed abſq. iactantia proferẽs de theſauro ſuo noua & vetera. Vultu placidus, eloquio ſuauis, officio breuis ſed gratus, modeſtus, non iniurioſus, gratus, beneficus poſt

A varia officia laudabiliter abſoluta, Signaturæ Referendarius communi litigantium plauſu receptus, atq. frequentia, vt ſolus & vnus tanta expediret, quanta decem non colligerent Referendarii. In hoc tribunali *Ponlus* aſſumptus quemadmodum & in Fabrica S. Petri, cuius poſtea Iudex electus, gradatim Auenionem Prolegatus abiit, ibiq. impetitus ſed non oppreſſus iurgiis atq. Gallorum diſſidiis, qui regnante Innocentio XI. turbas miſcebant, ad viodictam capto Epiſcopo Vrzionenſi cuſtodiæq. tradito, inde per regios milites vrbe agroq occupatis Auenionenſi, Cencius vt iura propugnaret more Apoſtolico, cruce nõ ferro, auxilio fretus ſuperno in

B Abbatiã receſſit S.Põtii, iuriſdictionis Auenionẽſis, proteſtatione renouata anathematis aduerſus milites irruentes, ibiq. ſubſtitit vſq. ad obitum Innocentii XI. & creationem Alex. VIII, à quo diſſidiis compoſitis, Petro reſtitutum eſt patrimonium, & Cencio ciuitas cum libero legationis exercitio, vbi reſtituta Clericali diſciplina, atq. iuſtitiæ ſubſelliis, iura recollegit Romana, Mortuo Alex. VIII. Romam euocatur ab Innoc. XII. cubiculo præpoſitus Pontificio, quo in munere gratiam cum inueniſſet non ſolum Innocentii, ſed totius Vrbis die 12. Decemb. 1695. Cardinalis aſſumitur S. R. E. ſed non publicatur; Innocentius namq. XII. natu Nea-

C politanus, genio Princeps familiarem ſuum quandoque ſollicitudine torqueri gaudebat, occupariq. inter ſpem & metum ſuæ promotionis obſeruabat purpuræ declaratione dilata: vnde ſolum die 22. Iunii 1697, Cencium inter Purpuratos declarauit, admiſit, adiecto Epiſcopatu Ferrarienſi, quo abſtinuit ob aeris inſalubritatem, dictus Archiep. Firmi in Piceno; quibus decoratus, comitiis adfuit Clementis XI, presb. Cardin. tit. *S. Petri in Monte aureo.*

Promotio Cardinalium facta ab Innoc. XII. die 22. Iulii An. Sal. 1697.

1 Giorgius Goroclius Venetus Archiep. Rhodien. Nuntius Ap. apud Luſitanos Rep. Venet. intercedente. D

2 Vincentius Grimanus Abbas Venetus; Cæſare intercedente.

3 Petrus Armandus Combout de Coaſlin Gallus, Ep. Aurelian. Rege Gallo intercedente,

4 Aloyſius de Souſa Luſitanus Archiep. Vlyſſiponenſis Rege Luſitano intercedente.

5 Alphonſus de Aguillar de Corduba Hiſpanus; Hiſpano intercedente.

6 Fabritius Paulutius Forolitienſis,

15. Qui

15. Qui curauit gentem, liberauit eam a perditione. Qui præualuit amplificare. Qui adeptus eſt gloriam in conuerſatione gentis.

50. Eccleſ. 4.



GEorgius Cornelius patritius Venetus filius equitis Federici Cornelii filii q. Sereniſſimi Principis Franciſci Cornelij, filii q. Ioannis alterius Sereniſſimi Venetiarum Principis, die naſcitur 1. Aug. 1658. Fratrē habet Ioannem, qui poſt Brixienſem præfecturam, atq. totius Prouinciæ Fori Iulii imperium, in patria Senator ampliſſimus excelſam nutrit ſobolem ad patriæ incrementum, ſubditorum tutelam, & Literatorum ſolatium. Mecænas namq. eos ſouet, promouet quaſi liberos. Omitto Infulas Patriarchales, Epiſcopales familiæ hæreditarias. Stemma Regium Luſignanæ domus, quod ob coniugium Catarinæ Corneliæ coniugis Iacobi Regis Cypri inſignibus inſeritur Cornelius, vnde cecinere Poetæ

Conuenit vna Domus, differt in ſtemmate Regum.
Eſt Cornelia Gens Regibus ampla viris.

Crux etiam ſuperimponitur Melitenſis Sal. Anno 1697. ob M. Cypri Commendam, qua ornatus Georgius, iure patronatus Corneliæ gentis. Auorum auſpiciis, artes quæſiuit liberales in Collegio Clericorum Regularium, de Somaſca, Veronæ, inde Patauium venit, vbi tyrocinio facto legali, die 20. Iulii 1677. laurea donatur Iuris prudentiæ: die verò XV. Auguſti, Federicum comitatus Cornelium, Venetum Oratorem, ad Hiſpanos aſcendit, ſalutatoq. Rege totam fere peragrauit Hiſpaniam, Luſitanos inuiſit, eorumq. mores, arcana, idioma rimauit, futuræ quaſi conſcius legationis. Biennio in hac peregrinatione inſumpto; Venetias rediit die X. Auguſti 1679. Sedotij impatiens, Anno ſequenti, qui fuit Salutis 1680. noua ſibi peregrinatione decreta, ad Gallos venit, apud quos ſumptuoſam agebat legationem Sebaſtianus Foſcarenus, nunc D. Marci Procurator, Regi gratam, Venetæ vtilem Reipublicæ, cum quo communicatis conſilijs, eo honore cultus, quem Corneliæ gentis prolem decet conſpicuam, ad Britannos nauigauit, cum Exfordiæ comitia celebrarentur; ibiq. ſubſtitit vſq. ad deditionem Argentorati ampliſſimæ vrbis in Alſatia inferiori; quò & ipſe accurrit Sal. An. 1681. ad triumphum Regis Chriſtianiſſimi Ludouici XIV. luſtrauitq. ciuitates omnes ac fortalitia à Gallis occupatas; Anno 1664. in patriam reſtitutus, purpuram ſubiit *Sapientis Ordinum*, ea grauitate, qua veri exornantur Sapientes. Hinc Anno 1685. nouo Magiſtratu auctus, *Patronus* dictus naualis armamentarii, gemina turre oſtia ornauit, firmauit, inſignibus in ea erectis gentilitijs ad memoriam perennem: riuum etiam expandit, ex quo antea vti ſinu anguſtiori cū nauium ac triopparonū catinę extrahi poſsēt ſolùm in embtione adiq. bracchiis, graui onere atq. Reipublicæ detrimēto, vt extra nauale perficerētur, modo ibidē perficiūtur, & abſoluūtur. Prudentiæ itaq. opinione cū in dies creſceret et apud Senatum, Sal. An. 1688. Orator eligitur ad Ludouicum XIV. Gallorū Regem; verum quòd ſuis in votis Eccleſiam ſemper habuiſſet, & caſtra meditatus eſſet Eccleſiæ; toga relicta, tonſura initiatus clèricali Anno 1690. à Gregorio Card. Barbadico Romam ſeceſſit Protonotarius dictus Apoſtolicus, inde Præſidens Cameræ Apoſt. ab Alex. VIII. Ponens aſſumptus in Congregatione Rituum, A Claue potitus Archiuii Apoſtolici & ab eodē prouiſor Salutis legatus ad oras Adriacas cōfinia clauſit, luſtrauit, ſeruauit immunia more patrio: in cuſtodienda namq. ſalute aduerſus morbum peſtilentialem, Veneti ſunt omnium vigilantiſſimi. Mortuo Alexandro VIII. ab eius ſucceſſore Innocentio XII. pro conſeruanda Annona Inquiſitor ſupremus per totam oram maritimam, legationibus non excluſis Vrbini, atq: Rauennæ remiſsus Rempublicam ea fide atq. ſollicitudine procurauit, vt ab eodem Pontifice Innoc. XII. meruerit Nuntius deſignari ad Petrum ſecundum Regem Luſitanum cum titulo Archiepiſcopi Rhodienſis, Prælati do- B meſtici, atq. Epiſcopi aſſiſtentis.

Conſcenſa naui cum ſua familia nauigauit felix vſq. ad promontorium S. Vicentii, vbi rugiente Aquilone, atq. Africanis piratis, gemino impetitus naufragio, mortis in mari, vel ſeruitutis inter barbaros, ſuccumbere erat, niſi conſtantia & in Deum fide excitando nautas, armando ſocios, innata animi fortitudine victor emerſiſſet impauidus. In hac legatione quantum pro iuſtitia inſudauerit; ex Lemmate habes *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* In reliquis, Eccleſiaſticæ immunitatis Zelantiſſimus, Regi gratus, populo charus, Clero venerabilis ſola nominis, vir- C tutis, Corneliæ gentis exiſtimatione, Anno ætatis 38. merito interprete Innocentium R.P, ſibi obſtrinxit, vt in Cardinalium promotione ſecunda, quam Papa in gratiam Principum deſignauit die 22. Iulii 1697. Presb. Card. *Card. tit. SS. XII. Apoſtolorū* fuerit aſſumptus; & primus fuit qui ex Luſitana lagatione purpuram ſubierit, Veneta tamen inſtante Republica non vi Legationis. Die verò 27. eiuſdem menſis, Epiſcopus etiam deſignatur Patauinus, ex gente Cornelia ſeptimus, qui nobiliſſimā illam dirigat diæceſim; octauus autem qui purpura ornatur Cardinalitia. Suæ itaq. promotionis certior factus, Romam venit Die 17. Februarij D 1698. Die 9. Martii, publicè exceptus; die 17. pileo donatus & titulo *SS. XII. Apoſtolorum* plaudente Roma, geſtiente patria, die 18. Iulii Patauium abſq. vlla pompa ingreditur; vbi mæſta ciuitas ob luctum Gregorij Card. & Ep. Barbadici, lacrymis temperauit conſolatione noui Paſtoris, qui innata munificentia in pauperes, iuſtitia in omnes paſtor vigilat ſuper gregē ſuū. Comitiis cū adfuiſſet Clementis XI. Patauium reſtitutus Paſtor vigilantiſſimus, veſtigijs inhærens Gregorii Barbadici anteceſsoris

ceſſoris ſui, morum cuſtodit innocentiam, & doctrinæ exercitia quibus dilectus Deo & hominibus ſubditos habet obſequentes, & benedicentes.

De eo lege præfationem *Io: Clericati* præpoſitam libro, cui titulus *Erotemata Eccleſiaſtica*. Hieronymum Fricimelicam *in ſuo Tirregno ad Card. Giorgium Cornelium*. De Epiſcopis Patauinis ex gentes Cornelia lege Inſcriptiones Agri Patauini magno ſtudio, indefeſſo labore, & vberi vtilitate Reipublicæ Literariæ collectas a Fr. Iacobo Salomonio, Ord. Prædicatorum Mag. S. Theologiæ Profeſſore, vitæ Innocentia conſpicuo. Patauij Sal. An. *1696*.

16. Qui patiens eſt, multa gubernatur prudentia. A
14. Prouer. a *9*.



VIncentius Grimanus patritius Venetus (Familia, quæ Dominicum & Marinum ſubſtrauit Vaticano Cardines; Marcum, Ioannem, Antonium, Patriarchas Aquileienſes) Mantuæ natus die *26*. Maij. Anno Sal. *1655*. ex Helena Principe Gonzaga, & Antonio Grimano patritio Veneto, Indolem expo- B
ſuit excelsã, & ad grandia natã ſub cura Patrum Societatis Ieſu arteq. excitãte naturam, non ab Aſtris, ſed ex morum ſuauitate, vir magnus prædictus futurus. Aras autẽ cũ aulæ præferret, prædiuite Lucedij Abbatia, à Duce donatus Mantuano cognato ſuo, quorum pars maior redituum cum in agro colligeretur Sabaudo, ad Ducem aſcendit Allobrogum, Palatinis charus, Duci ipſi familiaris & ſingulari neceſſitudine iunctus eo tempore, quo ingruentibus Gallis, trepidabatur in vrbe, & Dux interpretem quæreret reconciliationis, & pacis ſequeſtrem cum Cæſare. Hinc Grimanus optatam vt reſtitueret Italiæ pacem, quaſi aliud agens, & nullibi ſuſpectus C
ea arte arcanoq. conſilio, Imperatorem, Pontificem ſibi conciliauit; vt pax prius reſtitura, quàm agitata Gallo renũtiaretur; eo Rom. Pontificis gaudio, quòd anxiè nominationẽ ab Imperatore ipſius Grimani in Cardinalẽ præeligẽdi expectaret. Votis Sanctiſſimi Cæſar reſpondit: quamuis vt Grimano præcurrerent Magnates Germani omnem mouiſſẽt lapidem, vt Cæſar Grimanum præteriret, vel nominationem differret. Gratiſſimus namq. Imperator ne tantum opus indonatum percurreret; ac virtuti locus eſſet, & præmium, damnato ambitu, Palatinis omnibus antelato Grimano, pro eo ſolo preces emiſit, quas protinùs Innocentius XII. vere Princeps pacis exaudijt, & die *22*. Iulij *1697*. Grimanum in Diaconum Cardinalem *S. Nicolai inter Imagines*, aſſumpſit, magno ipſorum Venetorum gaudio, licet ob patrias leges prima fronte Venetus Senatus nullo permiſſo ſigno lætitiæ, Cardinalem minime cognouerit, neč ſalutauerit: licet poſtea patriæ reſtitutus Menſe Februarii *1698*. vt filius dilectus in tractatu pacis habito inter Leopoldum Imperatorem, Venetam Rempublicam, Poloniæ, atq. Turcarum Reges iura patriæ omni vigilantia procurauit; quemadmodum in aula Romana nil omiſit, quo ſe Venetum oſtentaret patritium. Comitijs adfuit creandi Clementis XI,

17. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs,
5. ad Galatas 24.



PEtrus Armandus de Cambout de Koaslin in Brittania minori, olim Armorica natus Salutis An. *1636*. cuius parens in Flãdria, pro Rege fortiter pugnans occubuit, nepos Card. Armandi Richelii: cuius auus maternus Petrus Seguierius Franciæ magnus Cancellarius de quo ego abunde diſſerui *lib. X. Monar. Occidentalis, cap.* 2. cuius frater Dux & Par Franciæ. In Sorbonnæ vniuerſitate ſcientias collegit, ibidem Theologica & Legali donatus laurea. Caſte viuens ſacerdotium ſubiit & impollutus tractauit, vnde a Rege Ludouico XIV. Epiſcopus dictus Aurelianenſis, poſtea magnus Franciæ eleemoſinarius, quamuis hoc munere, cui homo non ſatis, implicitus diæceſim quaſi familiam gubernat, & a longe reſpicit ſed legis & exempli radiis inflammat. In pauperum largitionibus nulli cedens, titulum Eleemoſinarii eo opere complet, vt in tota Gallia parem non habeat. Rege inſtante Gallorum, die *22*. Iulii *1697*. Purpuratis adſcribitur tit. *S. S. Trinitatis in Monte Pincio*, adfuitq. comitiis Clementis XI. exemplar virtutis, & prudentiæ.

18. Si Spiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus,
5. ad Galat.



ALoyſius de Souſa Luſitanus natus die 14. Februarij Sal. An. *1631*. ephebus Reginæ coniugis Philippi IV. Hiſpaniarum Regis, ſtudio ſcientiarum incubuit, Orbem peragrauit, Romam venit, inde euocatus ad Canonicatum Cathedralis in patria ſua poſtea Capellanus Ducis Bragãtiæ, ac Regis Luſitani, tãdem Archiep. Vlyſſiponenſis & à ſecretis Reipub. Romam
D mittitur Regius Orator, vbi morum innocentia, pacis ſtudio, munificentia, literarum amore aula ſibi conciliata Romana, in patriam rediit Rege plaudente, & apud Pontificem intercedente, vt die 22. Iulii *1697*. Cardinalis aſſumeretur S. R. E. Romam cum minimè venerit titulum non accepit nec pileum. Neptem vnicam cum haberet ex fratre, coniugem tradidit filio Principis *de Ligni*, Siciliæ ProRegis, ex Gubernatoris Mediolanenſis; qui a Rege Luſitano Orator abiit ad Cæſarem,

nec


nec Cardin. religioni totus intentus eccleſias decorauit,Cathedralem pręcipue monumentis verę pietatis relictis. Literarum indagator, Libros toto ex Orbe quæſiuit, quibus refertiſſimam bibliothecam aperuit, cui ſimilem nemo priuatorum in Vrbe, vel Orbe obijciat Menſe Septembri Sal. Anno 1700. Vlyſſipone quieuit in Domino.

19. *Diuiſit lucem a tenebris*, Geneſ. 1.



ALphonſus de Aguilar de Corduba Hiſpanus, natus Sal. Anno 1653. filius Aloyſij Ignatij Fernandez de Corduba, Figueroa,& Aguilar, VI. Marchionis de Priego, ac VI. Ducis de Feria, XVII. Domini de Aguilar, XV. Domini de Corduba, ex matre Maria de Corduba & Aragon, Antonij Fernandez de Corduba & Aragon, Seſſæ Ducis filia; frater Franciſci de Corduba Caſtrorum præfecti generalis in ditione Mediolanenſi,ſtudiis cum incubuiſſet in Collegio maiori Cuencano Vniuerſitatis Salmaticenſis, Canonicus dictus Cordubenſis, Abbas collegiatæ Bazenſis alteraq. donatus Abbatia Ruttenſi,inde Conſiliarius in ſupremis comitiis Ordinum Hiſpaniarum, in quibus ad lydium lapidem, fidelitatis, virtutis, iuſtitiæ facto periculo, Præſes deſignatus futurus S. Cruciatæ poſt obitum Gonzales Fernandez de Corduba, Rege tandem proponente Carolo II. Hiſpaniæ Rege, Card. creatur S. R. E. ab Innoc. XII. die 22. Iulii 1697. Romam cum non venerit, Titulum non accepit nec pileum, grauiſſimo impeditus munere Inquiſitoris Generalis, in omnibus Hiſpaniarum regnis, de fide ſollicitus Catholica, diu noctuq. vigilans vt lucem Euangelii diuideret a tenebris Iudaiſmi,ac Caluiniſmi. Morte præuentus in Hiſpania iacet, emiſſo Spiritu ad regnum æternum.

20. *Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*, 9. Pſal. 10.



FAbritius Pauluccius, cuius gens in Foro Liuio gemina fulget purpura, Calbuli Comitatu clara, inſulis venerabilis, latifundio potens (de qua ſupra in Alex. VII. n. 6. de Franciſco Pauluccio) die naſcitur tertia Aprilis 1651. patre *Coſmo* Comite Calbuli, matre Lucretia Marchionis Ioſephi Albicini filia diuitiis ac pietate clariſſimi: Fabritij nomẽ in lauacro regenerationis impoſitum;vt memoria excitaretur Fabritii Paulucci primi Epiſcopi ciuitatis Plebanæ patrui, Cardinalis Franciſci Paulucci. Impubes adhuc & puer Annorum octo, Romam

aſcendit Sal. An. 1658. vbi procurante Cardinali Franciſco Pauluccio Calbuli Comite, eius propatruo, Altaribus nomen dedit & manum Abbatia donatus Montis Sarcii:Sedente Alex.VII.ſtudio incubuit artium liberalium in gymnaſio Romano, & gradatim,per Philoſophiã & Theologiã arcana indagauit naturæ & gratiæ;per Mathematicã ſiſtema Cœlorum, tandẽ iuri Ciuili & Canonico operã dedit, cuius lauream aſſequutus in Vniuerſitate Sapientiæ Romanæ;in Eccleſiaſticis Accademiis praxim quæſiuit Iuriſprudentiæ, religione ac pietate ſemper retenta, qua ſtudia coronaret. Vſq. ad An-
A num Salutis 1685. ætatis ſuæ 33. doctrinæ, iuſtitiæ, prudentiæ facto periculo,Epiſcopus aſſumitur Maceratenſis, & Tolentinas ab Innocentio XI. coram quo, examine tentatus à Cardinali Ottobonoo, futuro Alexandro VIII. eumdem habuit adprobatorem, & Encomiaſtem. Eccleſiæ præfectus Maceratenſi per Annos duodecim vicinas vrbes odore repleuit vnguenti ſuauiſſimi; vnde ab eodem in exemplar propoſitus curam gerentibus animarum, frequentiſſimè in quæſtionibus arduis delegatus, vices ſubiit Pontificis. Illac per tranſeuntem M. Hetrurię Ducem ad venerandam Virginem Lauretanam cum omni excepiſſet honore, ac Tolentino
B permittente Senatu, Reliquiis donaſſet inſignibus S.Nicolai de Tolentino, cultu repenſus non minore M.Ducem ſemper habuit in partibus: vnde fama virtutis commendatus apud Alex. VIII. inter Candidatos recenſebatur; ſi Alexander ſuperuixiſſet: cuius ſucceſſor Innocentius XII. antea Epi. Fauentinus erectionem Hoſpitalis à Pauluccio factam Maceratę,vnà & leges admiratus ſpirituales & œconomicas, editas pro eius directione, Firmi Archiepiſcopatui prępoſuit vacanti ob mortem Card.Ginnetti, vbi ſubſtitit vſq. ad Annum Salutis 1695. morte impetitus repentina Ioſephi Ferdinandi fratris ſui, vtriuſq. Signaturæ Referendarii, qui
C ſedente Innocentio XI. Ferrariæ Prolegatus ſexennio præerat, gratus Pontifici, a quo Romam reuocatus inter aſſeſſores Congregationis Sacræ Conſultę,abiit in viam patrum,ſepulchro exceptus gentilitio in eccleſia S. Mariæ de Vallicella, vbi cum Cardinali Franciſco quieſcit propatruo, Fabritio Plebanæ Vrbis Epiſcopo primo, Franciſci patruo, atq. Carolo Decano Signaturæ iuſtitiæ patruo ſuo, vt ex ſequenti epitaphio.

D. O. M.

Ioſepho Ferdinando Paulutio Foroliuienſi
D *Ex Sac. Rom. Imp. Comitibus Calbuli*
Franciſci Cardinalis Paulutij Pronepoti
Signatur: Iuſti: Votanti Congregationis Aquarum à ſecretis
Congregationumque Conſultæ & Immunitatis Prælato,
Eminentiſſimi Archip. S. M. M. Vicario
Tot tantiſque muneribus par
Dum meliora etiam promeriturus
Singularis prudentiæ, eximiæque manſuetudinis
Luculentiſſimum teſtimonium dabat in dies,
Immatura morte præreptus

K *Vni-*

Digitized by Google

Vniuerſam Vrbem maximo dolore affecit
Illum etenim
A Sac. Card. Colleg. Sede Apoſtolica vacante ſibi
commiſſam
Ab imminenti lue ſeruauit immunem
Fab. Epiſcopus Maceratenſis ad Tractum Rheni Nuntius
Apoſtolicus
Ioannes & Aloyſius Fratri dilectiſſimo M. M. P. P.
Obijt die XXX. Octobris Anno 1695.
Ætatis ſuæ XIIX.

A Nuntius inde Apoſtolicus Fabritius ſecundo loco poſtulatus a Cęſare, Coloniã Legatus abiit Agrippinã Sal. An. 1696. iã Firmi Archiepiſcopatu donatus, quo poſtea ſe abdicauit, ne abſẽtia ſua gregi laſciuire permitteret, ad congreſſum deſtinatus Reſuicenſem pacis vniuerſalis, quem cum Heterodoxis VL. traiecti habituri (vt plenipotentiarius ſederet, quando honor ſedis congrueret Apoſtolicæ) erant Catholici & ab illis Nuntius permiſſus fuiſſet Romanus. Anno 1698. ad Auguſtum II. Poloniæ Regem, & Saxoniæ Ducem, ſuperſtitione Lutheranum Epiſcopatu auctus Ferrarienſi Legatus abiit extraordinarius, vbi regnum ob mortem Io: III. Regis, religione pene naufragum Catholica, cuſlodiendum accepit, & bellum auerteret ciuile, quo B conflagraturi erant Sarmatæ, Religionem ac libertatem propugnante Michaele Stephano Radzieiovvſchi Lithuaniæ Primate, Archiep. Geſnenſi cum Palatinis, quam poſt longa & periculoſa diſcrimina Regi conciliauit; vnde abiurato Luthero cum erroribus ſuis, nouus Rex Religionem profeſſus Romanam, eiuſq. caput Romanum Pontificem, Deum adorans ritu vetuſto. Labor ſane laudabilis æque Pontifici, ac Regi gratiſſimus, ab hoc enim Cruce donatus adamantibus exornata, eximij valoris (regiæ gratitudinis argumentum) ab illo purpura Presbyterali tit. *SS. Io. & Pauli* die Veneris 19. Decemb. 1698. quam ei iam deſtinauerat die 22. Iulii 1697 Polonia diſcedens Viennam abiit ad Cæſarem, vbi cum ei arcana communicaſſet ſibi commiſſa, Romam ſe reſtituit, feſtiuo exceptus amplexu Innocentij XII. Congregationibus illico datus nõ ſolum pro rebus Poloniæ, ſed grauioribus totius Orbis. Exeunte Maio *1699.* Ferrariam deſcendit, geſtiente ciue præ lætitia, luſtrauitq. prouinciam ad conſolationem gregis; Viſitatione abſoluta, Romam rediit vt Anno ſæculari Pontificem coadiuuaret in aperitione Portæ Sanctæ. Mortuo Innocentio XII. Conclaue ingreſſus pro creatione noui Pontificis, director aſſumptus a Cardinalibus XXV. creatis ab Innocentio XII. vt vnà cum purpuratis nationalibus Regum Petri ſucceſſorem meditaretur, qui digne tractaret Claues Celorum in exaltatione conuenit Io: Franciſci Albani Vrbinatis, qui nomine Clementis XI. adoratus vt Chriſti Vicarius Fabritium Pauluccium a ſecretis aſſumpſit, & primum tanti miniſterii coadiutorem declarauit. Hoc voto, die 12, Martii 1701. Epiſcopatum Ferrarienſem in manu Sanctiſſimi libere reſignauit, vt expeditior ſe colligeret ad nutum Pontificis, à quo Abbatia donatus in Agro Cremonienſi vacante ob mortem Cardinalis Mellini, Romæ ſollicitus pondus portat diei, & æſtus,

De eo lege Bartholomæum Ferro in ſua *Luce Euangelica* Venetiis typis data Sal. An. *1699.*

Promotio Cardinalium III. facta ab Innoc XII. die 14 Nouemb. 1699.

Ioſeph Archintus Archiep. Mediolani, apud C Cathol. Regem Apoſt. Sedis Nuncius. Mediolanen:

Andreas de Sancta Cruce Archiep. Seleucienſis, apud Cæſarem Apo. Sedis Nuntius. Romanus.

Marcellus de Aſte Archie. Athenienſis. Romanus.

Daniel Marcus Delphinus Epiſcopus Brixienſis, apud Chriſtaniſſimum Regem Nuncius. Venetus.

D. Ioannes Maria Gabriellius Abbas Generalis Monachorum Reformatorum Sancti Bernardi Ordinis Ciſtercienſis. Tifernas.

21. *Ex ſtudijs ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera eius.* 20. Prouer. 11.



IOſeph Archintus Mediolanẽſis ea naſcitur gente, que excello prognata ſanguine, caſtra ſemper promouit Eccleſiæ. Pacatis melliflua S. Bernardi eloquentia diſſidiis, quæ inter Apoſtolicam Sedem (refert *humaniſſimus ac vere literatus Fr. Ludouicus M. Siniſtrari de Ameno Reformatus. S. Franciſci in ep. dedicat. Operis eruditiſſimi de delictis & Pœnis*) ac Mediolanenſes efferbuerant, *Anſelmus Archintus*, donatis ampliſſimis latifundiis Clarauallẽſem ampliſſimam Abbatiam extra Romanam Mediolani portam dotauit: *Mãfredus* illius filius paternæ pietatis non minus quàm ſubſtantiæ heres vineam eidem obtulit monaſterio, cuius fructus ea feracitas, vt ex illa ſingulis anni diebus (dum per Monacos adminiſtraretur Ciſtercienſes) metreta vini, Chriſti pauperibus diſtribueretur, dolio adhuc ſeruato ſub titulo, *Vinea Pauperum*. Ad omnium Antiſtitum exemplar *Romulus Archintus* Nouarienſis Epi. detracta frugaliſſima cõgrua ad alimoniã familiæ, reliquũ paſcendis erogauit ſuæ diœceſis mẽdicis. Philippus Romuli frater D Epi. Comenſis Caroli ęmulatus virtutes [quas ad eius apoteoſim celebrandam delegatus inquiſierat Apoſtolicus] in oppido Canturij, ære ſuo magnificum eidem Carolo inter Sanctos iam aſſerto fanum extruxit, ſacra ornauit ſuppellectili, dotauit redditibus, illum *Archinta* familiæ patronum adoptauit. Hiſce præludiis emerſit Ioſeph Archintus Mediolani, die 17. Aprilis 1651. qui cum puer ſederet in gremio matris, interrogatus arma deſignaret, vel togam? ſibi præludendo reſpondit:

dir : *Presbyter ero & Cardinalis*. Re vera altaria ornabat domeſtica, cum fratribus Miſſam domi canebat ea pietate, atq. obſeruantia, vt fratres exprobrarer aberrantes. Minora edoctus rudimenta, Philoſophicis incubuit atq. Theologicis in patria ſua, inde Ingolſtadium aſcendens in ea Vniuerſitate diſciplinam adeptus iuris Cæſarei, atq. Canonici, laureaq. potitus, ad rimandos Europeorum mores, non vanam ſed ſapientem aggreſſus peregrinationem peragrata Germania, Vngaria, Polonia, Dania, Suecia, Hollandia, Anglia, Belgio, Gallia, cognitionibus onuſtus rediit, vt quid pro fide, pro Eccleſia, pro Principe, pro Patria in vario rerum diſcrimine, ſane & ſolide conſulere poſſet. Genus Proſapiæ, feruens ſpiritus, præclara indoles, animi magnitudo, neceſſitudinis vincula exteris eum colligarunt, vt omnibus omnia factus, quocumque accederet, reciperetur non incognitus, nec ingratus. Sic morali exterorum imbutus politia, Vrbem aſcendit epitomen Vniuerſi, veſtigans Curiam, Religioni anxius & intentus, vt habitu indutus Prælatitio, breui virtutũ ſuarum famam, vſq. ad petri thronum emiſerit, vnde ab Innoc. XI. immortalis memoriæ Pontifice, Protonotariorum Participantium collegio adſcriptus breui cum ſe emeritum ſenem probaſſet, ad M. Hetruriæ Ducem ab eodem Pontifice Nuntius Apoſt. delegatus, virtutum omnium apparatum explicauit. Propugnatione namq. Eccleſiaſticæ libertatis conſtans & liber, in expeditionibus celer, in pauperes prouidus & munificus, in familia caſtus, in ſupplices comis, in negotiationibus prouidus & ſollicitus, in moribus inculpatus, aditum ſibi fecit ad latius theatrum, Venetam ſcilicet Rempublicam, vbi pede inoffenſo iuſtitiæ atq. eccleſiaſticæ immunitatis, inter arcana bellorum, dignitatum, confinium, quæ frequentiſſime agitant Romanum Pontificem, atq. Venetam Rempublicam, percurrens, numquam rediit abſq. encomio Senatus, & laude Pontificis, præcipue in diſceptatione Cremenſis Hoſpitij, quod Cremæ aperuerant Fratres Carmelitę Diſcalceati Veneto indulgente Senatu Sal. Anno 1684. contradicẽte M. Antonio Zoilo Epiſcopo Cremenſi, cuius quæſtionem Romam delatam cum fulcirent Regulares Cremæ degentes; ſibi non defuere Carmelitæ, delegato ad propugnanda iura ſua P. Fortunato Priore Patauini Conuentus, ac S. Theolog. Lectore viro conſpicuo ob ingenij dotes, atq. claram neceſſitudinem cum ciuibus primariis ciuitatis Cremenſis (filius namq. Caroli, ac frater Othonis Venturini Marchionum de Gambazochis, quarum proaui vexilla ſequuti Federici Ænobarbi, & ab eodem dignitatibus decorati, nunc beneficio Leopoldi Imperatoris Comites dicti atq. Marchiones, vt Cremenſium ciuium anteſignani, conſenſum vrbis Carmelitis conciliauerant, vt Eccleſia *S. Maria à Cruce* Diſcalceatis Carmelitis traderetur adminiſtranda: in ea propterea idem Fr. Carolus Fortunatus rem ſacram operabatur Generali conſentiẽte Definitorio, licet poſtea reuolutis ſubſellijs P. Honorius ab Aſſũptione Vicarius Generalis Diſcalceatorum, immiſſo clandeſtino Monitorio, & parietibus Eccleſiæ S. Mariæ affixo mandare conatus fuerit, *vt illico ſub pœna excommunicationis ab illa Eccleſia & Hoſpitio recederent Fratres Carmelitę Diſcalceati*. Cui Monitorio tanquam clandeſtino & ſurreptitio eum parere conſtantiſſime negaret dictus Fr. Fortunatus: in Generalem totius Ordinis, Sal. Anno 1689. idem Pater Honorius, procurantibus ſpe reconciliationis Vocalibus aſſumptus Venetis, illico eodem à Capitulo excluſit Generali, publicoq. inſtrumento Hoſpitium renunciauit Cremenſe, non ſine tamen colluſionis ſuſpicione, cum
A Cremenſibus, quia eodem tempore idem Fr. Fortunatus aſſumptis ſex ſociis cępit Cremæ publicè ędificare Monaſterium, & Bibliothecam, fama vulgata, quod conniuentibus ſuperioribus Romanis ibidem perſiſterent. P. verò Honorius vt ſe purgaret apud Aulam Romanam, fratrem meum carnalem Fr. Lauren. Iuſtinianum à S. Eliſæo tunc Veneti Prouincialis ſocium Romæ cuſtodiæ tradidit, è qua tamen emerſit incolumis Iuſtitia plaudente Superna; inde interprete Fr. Pantaleone a S. Carolo natu Brixienſi ſeditione feruente, nonnulliquè Monacorum excitati ex ſolo aufugere Veneto; in pęnã ſcandaloſę ſeditionis vt fugitiui Senatu iubente
B deportati, licet poſtea ex indulgentia reſtituti; Fr. Pantaleone excepto, qui tanquam ſeditionis caput à Solo Veneto deportatus longè aberrat. Continuauit ſeditio vſq. in An. Sal. 1690. donec ſedente Alex. VIII. Venetias deſcendens Ioſeph Archintus Nũtius Apoſt. omni conatu curauit, vt remoto lapide offẽſionis, & petra ſcãdali religioſi Fratres Carmelitæ Diſcalceati in ſua poſſeſſione perſeuerarent Cremẽſi: quod factũ ſub nouo Ordinis Carmelitarũ Gener. P. Ambroſio a S. Angelo, Theologo eximio, atque cõcionatore, pacis atq. clauſtralis concordiæ, Zelantiſſimo, qui maturè ac prudenter conſiderans ex præcipiti ſui ſodalitii feſtinatione in diſcrimen
C Curiam adduci Romanam, quæ huius ignara diſſidii, ad actorum pręſidium conſcia, iudex, auctrix appellabatur, cum re vera tantam tempeſtatem vnus Carmelita excitaſſet: itaq. immiſſus vnus ex ſodalibus Carmelitis cum ſpeciali mandato, vt decretum publice affigeret, in quo expreſsè, *acta omnia preterita & à principio contra Patres Carmelitas Diſcalceatos eſſe & fuiſſe ipſo iure nulla declarabantur. laudata & adprobata fundatione Monaſterij cum iuribus ſuis laude cumulata totius Ordinis Carmelitę ergą Fr. Fortunatum, cuius conſtantia & prudentia expugnati ęmuli, Cęnobium tam nobile ſeruatum fuerat Virgini Tharesię; tempeſtas quieuit*. Huius concor-
D dię plauſus quantum Legatum extulerit Apoſtolicum, cuius manu opus abſolutum penè deſperatum; Legatio probat Hiſpana, in qua Archintus poſt glorioſè reſtitutam a crudeliſſimo bello pacem inter Hiſpanos & Gallos, qua debilitati Turcę pacem rogare à fęderatis Principibus fuere compulſi, infula decoratur patria Archiepiſcopali ab Innocentio XII. quem dotes non latebant Archinti. Cum enim ipſe Legatione fungeretur Bononienſi; Prolegationem Archintus laudabiliter adminiſtrauerat.

rat. Inſulam hanc Ioſepho prçluſcrat Magnus ille
Philippus Archintus, qui in Caroli V. Cçſaris, ac
Pauli III. ac Iulij III. Pontificum aula muncra obiit
grauiſſima, Gubernatoris Vrbis, Procameratij
Apo. ad Venetos Nuncij cum poteſtate Legati a
latere, ſub Marcello II. & Paulo IV. dignitates prç-
clariſſime geſſit, purpura mox donandus Cardina-
litia, ni morte prçuentus locum ſucceſsoribus reli-
quiſſet. Ad purpuram vocatus Archintus die 14.
Nouemb. 1699. Mediolani ſedet paſtor vigilans,
ne mundano puluere religioſa corda ſordeſcant. S.
Caroli ex deuotione diſcipulus cum à Comite Fede-
rico Confalonerio eius cognato certior fieret, non-
nulla ad ornatum Archiep. cubiculi deeſſe; reſpon-
dit: *Abunde ornari cubiculum ſuum, ſi ibidem imagi-
nes appenderentur Sanctorum, Ambroſij, Caroli, adie-
ctoq. pulninari, & abaculo cum ſediculis. Reliqua ſupra
modeſtiam futura ſacerdotalem*. Neruoſa reſponſio
opere ſuffulta veridico eleemoſinarum, quas clao-
culo dietim diſtribuit in alimoniam nobilium, &
Virginum elocandarum. Cæterum pius, placidus
beneficus, erga Principes Officioſus in ſpem futuræ
felicitatis gregem excitat.

De eo plura leges in ſupracitata dedicatoria Fr.
Ludouici de Ameno; vt de *Archintea familia*, apud
Diamas Marinonum *de famil. Illuſtrib. in Biblioth. Am-*
B
broſ. Saluatorē Vitali *in triumpho Vrbis Mediol. ad Sexa
ginta decur. n.* 57. Raphalem Fanianum *de Illu. famil.
Mediol.* Morigium Hiſtoria *Antiquit. Mediolan. lib.* 5.
c. 24. Aubertum Miræum in *Chron.* Io: de Deis *in ſuc-
ceſſorib. S. Barnab.* agens *de Anſelmo Puſterla*. Corium
H. Mediolan. Cotta *Muſu Nouar.* Io: Petrum Giuſſa-
num. Philippum Picinellum *in Athenæo pag.* 189.
Franciſcum Beſutium. *H. Pontif. Mediolan.* Marcum
Littam *H. Mediolan.*

22. *Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce D. N. Ieſu
Chriſti.* 6. Ad Galatas 14.



ANdreas de Sancta Cruce
antiquorum Romanorum
prognatus ſanguine, Romç na-
ſcitur die 22. Nouemb. Sal. An-
no 1655. Scipionis Marchionis
Petræ Fortis filius ex Marchio-
niſſa Octauia Corſina clari ſan-
guinis inter Florentinos Mar-
chionis Corſini filia, nepos An-
dreæ de S. Cruce Cardinalis S. R.E. ibidemq. ſtudio
incumbēs Philoſophico, atq. Legali lauteā acquiſi-
uit: inde gradatim V. Signaturæ Referendarius, poſt
varia Vrbiū Eccleſiaſticarū regimina Tiburis præ-
cipue, ac pro legatione donatus Bononienſi, magno
Vrbis plauſu, mandante Innocentio XI. Archiepi-
ſcopus Seleucienſis Regem conuenit Ioannem So-
bieſchi, atq. Rempublicam Polonam, apud quam
ex cauſa iuriſdictionis minime gratus, ſeceſſit im-
pauidus & ad tempus. Crucem ſecum ferens Chriſti
Redemptoris, cui ſemper ſubiectam voluit Cru-
cem gentilitiam. Inde ad Leopoldum miſſus
Imperatorem [cuius Orator Comes Martinizius,
Romæ acriter diſcrepabat ab aula Romana] ince-
dens medius maieſtate tamen Legati ſeruata Apo-
ſtolici, aula non minùs plaudente Cæſarea, quam
Pontificia, cuius arcana Sancta Crucius mirifice cu-
ſtodiuit, promouit, impetrauitq. vt Comiti Mar-
tinizio ad Papam Oratori Cæſareo nouus ſubroga-
retur Orator, qui facilius, placidius conueniret
cum aula Romana. Die XIV. Nouemb. 1699. Car-
dinalium promotione tertia, Romam euocatur
Presb. dictus Cardinalis tit. *S. Mariæ de Populo* Con-
gregationibus auctus Romanis, creationi adſuit
Clemētis XI. Epiſcopus Viterbienſis tanquàm can-
A delabrum ſupra montem poſitum vrbi illucet & Or-
bi; idæa virtutis, & Chriſtianæ perfectionis exem-
plar.

23. *In ſplendore fulgurantis haſtæ ſuæ*,
3 Habacuch. 11.



MArcellus de *Aſte* cogno-
men non Gentilitium,
ſed aduentitium, & ciuile ab
Vrbe *Aſta*, a Gallis *Aſte* dicta in
agro Lygurum ſub Duce Sabau-
dio, in qua antiquitus domici-
lium habuere *Pellets* Feudatarij
Epiſcopatus Aſtenſis; Sedente
namq. Io: XXI. R. P. ab Arnal-
do I. Aſtenſi Epiſcopo *Cortanti
& Coſtambrandi* pagos titulo
Feudi acceperunt: cum autem circa Annum Salutis
1300. contra Guidonem II. Epiſcopum Aſtenſem
vexilla erexiſſent, loco cedere coacti, Albengam
vel Albingaunum Liguriç vrbem litoralis, aliàs
diuitem & potentem, in qua ſtudioſe *Pellets* omiſ-
ſo cognomine, forſan vt inſidias declinarent hoſti-
les pro cognomine, nomen aſſumpſere patriæ *de
Aſte*, inſignibus retentis gentilitijs, ac Feudi titulo
C *de Coſtigliorijs*: lege Compendium Hiſtoricum Ciui-
tatis Aſtenſis, auctore *Guido Antonio Malabaile. c.*
11. 12. In Eccleſia S. Dominici Albingauni, in ſa-
cello S. Marthæ, ſequens legitur inſcriptio.

*Iſta eſt capella D. Iacobi de Aſte de Coſtigliorijs. Re-
nouata fuit per D. Michaelem de Aſte de Coſtigliorijs An-
no* 1453. *quæ ad præſens etiam eſt ſub patrocinio nobilis
familiæ de Aſte, præſentis ciuitatis Albenganæ*. vt ex
M. S. familiæ *Pelleta*, & epiſtolis D. Philippi Ma-
labaile Monaci S. Bernardi, Anno 1619. & 1640.
Porrò cum ſublunat ia omnia caduca, in Michaele
de Aſte linea defuit maſculina; ex coniuge nam
que Bianchina Auria vel Doria Genuenſi, cum vni-
cam ſuſcepiſſet filiam Magdalenetam, nuptui hanc
D tradidit Thomæ Riccio Emmanuelis filio, ex qua
Bernardinus Riccius filius adoptiuus Michaelis de
Aſte, ſucceſſor, & hæres ea tamen conditione, vt
cognomen *de Aſte* aſſumeret, & in eo Gens *Pelleta*
ſeu de Aſte reſurgeret ſaltem per lineam ſemineam
vt ex actis Antonij Rolandi notarij Albengenſis, die
14. & 15. Iunij 1457. & ex inſcriptione in Eccleſia
S. Dominici dictæ ciuitatis. Ciues iſti *Riccij* vrbis
Albengæ (quæ de antiquitate, & primatu cum ip-
ſa

ſa Roma contendit) & Ianuam ſe contulerunt Sal.
Anno 1090. ibiq. ſubſtitere vſq. in Annum Salutis
1270, tunc enim factionibus diuiſi, qui partes tue-
bantur *Adurnas*, Albengam rediere; alij Genuæ
perſeuerarunt inter nobiles publicis donati mune-
ribus, quæ ſolis conferuntur patritijs; vt ex Rogi-
tis Lucæ Allegri notarij Albigauni: die 23. Maij
1550. & ex actibus Cancellariæ Epiſcopalis, eiuſ-
dem ciuitatis, die 14. Februarii 1582. Memoria ſi
requiratur antiquior; incendia bello excitata Gal-
lico & Piſano reſiſtunt. Supereſt adhuc publicum
inſtrumentum, quo *Bonus Ioannes, & Iacobus de Aſte*
Toirani Domini, locum hunc Epiſcopo vendidere
Albengano, Sal. Anno 1238, cuius pretii portio-
nem ſibi debitam Iacobus q. Buoni Ioannis amo-
ris ergo Communitati ceſſit Albenganæ, Sal. An,
1260. Eodemque in pago *Io: Baptiſta* de Aſte vſq. in
hodiernam diem grandia prædia poſſidet. Anno
Sal. 1240. Aſaldus de Aſte Genuæ Conſul præſuit,
vt ex rogitis Gulielmi de Coraſco, die 16. Aprilis
1248.

Ex gente Riccia *Thomas* Sal. An. 1251. nomine
ciuitatis Albenganæ fœdera iurauit, ſubſcripſit cum
Genuenſibus. Iacobus Locum tenens oppidi (quod
Rubeam Seluagum appellatur) Albengam Prętor te-
nuit Sal. Anno 1244. Anno poſtea Sal, 1349. Ober-
tus Riccius Sindicus & Conſul Albenganus Ge-
nuam venit Reipublicæ cauſa: teſtimonio ſuf-
fragante Senatus Ianuenſis, die 25. Septemb.
1571. Statua viget adhuc, qua grati ciues Alben-
gani memoriam donarunt Bernardi Riccij, ob grã-
dem pecuniam fœnori expoſitam, cuius annua pen-
ſione virgines elocarentur Albenganæ, minuerẽtur
onera vectigalium, teſte *Federico Federici*. Hinc
Nicolaus de Aſte exhibitis teſtimonijs ſuæ deſcen-
dentiæ ex ſtipite Riccio, Senatum rogauit, & im-
petrauit participem fieri legatorum omnium, li-
bertatis, immunitatis, quæ ſpectant ad legi-
timos deſcendentes Bernardi Ricii; vt ex actis
Franciſci Sabini Cancellarii Senatus die 23.
Maii 1648. Sub Nicolao & Seluaggio fratri-
bus de Aſte Io: Baptiſtæ & Theodoræ Scribanis
filiis diuiſa familia. Albengæ, Nicolaus ſubſtitit,
ex quo latere ſuperſtes viuit Damiani, & Mariæ
Camillæ Comitiſſę de Lingueglia filius nobilis Al-
benganus & Genuenſis Auorum imaginibus illu-
ſtris, præcipue *Torrelli* Theſaurarii Philippi II.
Hiſpanorũ Regis circa Annum Salutis 1577. Gre-
gorii, qui decem triremium ductor Sal. An. 1571.
triumphauit cum fœderatis aduerſus Thraces. Io:
Baptiſta Vicarius Apoſtolicus, & Mag. Generalis
totius ordinis Auguſtiniani, Epiſcopus Thegaſten-
ſis, & Sacriſta Pauli V. R. P. Nicolaus Eques S. Ia-
cobi creatus à Philippo III. Hiſpaniarum Rege.
Fuit etiam Nicolao Gregorius ſecundogenitus ęquè
illuſtris in ſuis deſcendentibus, toga conſpicuis,
Cruce præcipue Hieroſolymitana, vt de Torello
Io: Bap. Commendatore S. Margaretæ & Calloceri
Aiquo, Io: Thoma qui in bello cecidit Cretenſi,
teſte Bruſoni in *Hiſtor.*

Ex altero collaterali *Seluaggio* ſcilicet Io: Bapti-
ſtæ & Theodoræ Scribanis filio, qui Romam ſeceſ-
ſit Sal. Anno 1550. Mauritius exurgit Caroli de
Aſte, & Octauiæ Bellarminæ filius, Roberti Card.
Bellarmini pronepos palatium colens Romæ exci-
tatum ab eodem Carolo, foro Farneſio, inter
Romanos patritios conſpicuus antiquo natalium
ſplendore reſtituto in Io: Baptiſta, qui die 31. Aug.
1616. Baro dictus ciuitatis Acerni in regno Neapo-
litano, à Philippo III. Hiſpaniarum Rege, Romæ
ſepultus Sal. Anno 1634. in eccleſia S. Mariæ in via
lata, in capella principe ab eodem erecta, aſſe
relicto hæreditario trecentorum millium Corona-
A torum: in Franciſco Maria C. R. Theatino, Hy-
drunti Archiepiſcopo Caroli II. proponente Hi-
ſpaniarum Rege, Sal. Anno 1690. ſedente Alex.
VIII. R. P. in Michaele, qui militum tribunus,
primus in expugnatione Budæ, mænia ſupergreſſus,
glorioſè occubuit die 9. Septemb. 1686. in *Marcello
de Aſte*, fratre ſupradictorum Caroli, & Franciſci
de Aſte, qui ex carcere exurgit materno die 21.
Auguſti Sal. Anno 1657. Auerſæ [ciuitas hæc Cam-
paniæ in regno Neapolitano, in terra Laboris,
Neapoli ſeptem milliaribus diſtans] patre Mauri-
tio de Aſte patritio Romano, & Acerni Barone,
in eodem regno Neapolitano; matre Vincentia
B Carafa matrona Neapolitana, Marcelli Carafæ fi-
lia, & Ducum Andriæ prognata ſanguine. Romæ
in collegio Clementio, Congregationis Soma-
ſchæ, virtutis atq. ætatis incremento, poſt Annos
octo Philoſophus exiit, vt Iuriſprudentiæ operam
daret, veſte indutus talari, in quo maior factus
Anno Sal. 1683. Vtriuſq. Signaturæ Referendarius
dictus ab Innocentio XI. paulo poſt Sabinæ Guber-
natur abſtinuit, æconomia impeditus domeſtica.
Anno verò Sal. 1686. ab eodem Innoc. XI. R. P. Ca-
nonicus aſſumptus S. Laurentij in Damaſo, nec
longe ProAuditor Cameræ Apo: abſtinuit iterum
valetudine non ſatis conſtans. Anno ſequenti Iudex
C donatus Fabricæ S. Petri per biennium munus im-
pleuit ſolertia & vigilantia, quæ ei Cardinalem
conciliauit Medicæum, a quo Auditor Generalis
aſſumptus carceri obſtrictus voluntario, otij im-
patiens, penſum eum ſoluiſſet Canonicum in Ba-
ſilica S. Petri, reliquum temporis ad Cleantis lu-
cernam inſumendo, & ſtrepitus patiendo litigan-
tium, ne nugis obrueretur Curialium, ſcripturis
totus attentus & intentus Canones, Leges, Con-
cilia, Patres inquirebat, luſtrabat, ne vel falſa
Decretorum relatione, vel obtorta Bullarum in-
terpretatione deceptus a tramite aberraret iuſtitię,
Tanta vigilantia illecti Curiales, cauſas delegatas
D ea frequentia in eum declinabat, vt vnus de Aſte
ſtaret pro cunctis ſubſellijs eiuſq. Domus forum
diceretur Romanum. Perennant adhuc Iudicia ab
eo typis data, in quibus non ſolùm eruditio fulget
antiquitatis, & hiſtorię monimentum, ſed Sacro-
rum Canonum experimentum, notitia Concilio-
rum, ſtylus Curiæ, ac methodus rei iudiciariæ. Hinc
Petrus Cardin. Otthobonus qui verè fuit *Lucerna
Iuris*, in Pontificem aſſumptus nomine Alexandri
VIII. Anno Sal. 1689. non alium ſibi Auditorem
aſſum-


aſſumpſit, quàm Marcellum de Aſte, Annoq. ſequenti ex Canonico S. Laur. in Damaſo, Canonicum elegit S. Petri, à conſilijs aſſumendo S. S. Inquiſitionis, ac Signaturæ Gratię votantes, nec non Congregationum Rituum, Immunitatis, in quibus pietatem, virtutem, prudentiam ioſequuius, albo ſemper eſt ſignatus lapillo. Defuncto Alexandro VIII. ab eius ſucceſſore Innoc. XII. Sal. Anno 1692. Nuntius Apoſtolicus miſſus ad Rhetos & Heluetios Archiepiſcopatu auctus Athenarum quamuis ob inclementiam aeris, peſſime valeret, & per Annum fere decumberet, nil tamen omiſit, quo barbaram nationem, omni officiorum genere, arctiſ- A ſimo religionis Catholicæ vinculo colligaret, & morum exemplo, ac familiæ religioſa moderatione conterminos Heterodoxos tacite, & ſine strepitu placide redargueret, iniuſte & irrationabiliter ab ecclesia defeciſſe Romana. Romam reuocatus valetudinis cauſa, & ab eodem Innocentio XII. ad Cæſarem Legatus in pectore deſignatus, ibi ſubſtitit occaſione Secretarię vacantis in Congregatione Epiſcoporum, & Regularium ad quam aſſumptus per triennium ea ſtudia contulit, vt Purpuratorum laudem, Summiq. Pontificis, meritò ſemper ſubiret. Inde Vrbini Legatione vacante Præſidens ſubrogatus Generalis Ducatus Vrbini, hoc in mu- B nere ab omni labe alienus non ſolùm ipſe ſed eius familia Xenijs etiam de iure debitis abſtinere iuſſa; ita Rempublicam adminiſtrauit, vt quid iuſtitia poſtulet, quid ratio præcipiat, quòd conſcientia proponat, cū nunquam aberrauerit, fama nominis, gloria virtutis interprete, die 14. Nouemb. 1699. Presbyter dicitur Card. tit. *S. Martini in Montibus* ab Innocentio XII. qui cum animam ageret, volens iuſtitiæ ſatisfacere, more inſolito, ore proprio non ſchedula (vt moris eſt) in terram proiecta, quę à Secretario colligitur, legitur, & in Conſiſtorio publicatur, tres nominauit Nicolaum Rodolouicum, Sperellum Sperelli, & Marcellum de Aſte C eumq. *De Aſte* pronuntiato, dificultas recurreret, an de Marcello, vel de Ioſepho Decano Cameræ Apoſtolicæ, atque armorum Pontificis Commiſſario Generali, qui & ipſe recta linea à Io: Baptiſta Acerni Barone deſcendens, Romanus patritius iuxta forum D. Marci, palatium habitat magnificum) intelligeret? de eo (reſpondit) qui Vrbino præeſt. Viribus poſtea collectis, ac in nouo Conſiſtorio habito die 22. eiuſdem Menſis, publicata Cardinalium promotione, Marcellum Vrbini Legatum, declarauit, Epiſcopum Anconæ, vbi cura paſtorali excubans ſuper gregem ſuum, oues ſi aliquando haſta pungit errantes, baculo ſuſtinet D Epiſcopali, vnde bellè de eo, *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*. Congregationibus adſcriptus Status, Eccleſiaſticæ Immunitatis, Propagandæ, Tridentini Concilij, Fabricæ S. Petri, Epiſcoporum & Regularium, mortuo Innocentio XII. promouit voto ſuo Clementem XI. regnantem Pontificem.

Eius in laudem cecinit poeta venuſtus Fr. Bonauentura de Lama Reformatus Apuliæ Saleotinorum, cognomini alludens iuxta prophetæ vaticinium Habacuc. 3. n. 11.

In ſplendore fulgurantis Haſtæ tuæ

Eſte procul tenebræ, ſplendens dum fulgurat Haſta;
Lætetur Petrus, quòd tenet arma potens.
Oſtendit gladios ſponſa quod vulneret hoſtes,
Haſta ſed eſt potior, quòd cadat hoſtis hami.
Sit calter nocuat, lædit præſtantius Haſta
Eminus iſta ferit, cominus ille nocet.
Longe ergo hoſtes, ni veniant, Eccleſia clamat
Sint alijs gladij; ſufficit Haſta *mihi.*

20. *Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus.* 5. Act. 29.



DAniel *ſecundus* Marcus Delphinus Venetus patritius Venetijs natus die 5. Octobris 1654: ex Eliſabetha Gradonica & Nicolao Delphino fratre Ioannis Delphini Patriarchę Aquileienſis & S. R. E. Card. atq. Io. Danielis altretius Patriarchę electi Aquileienſis, patre Dionisii Patriarchę electi Aquileienſis, Ioannis & Nicolai qui laticlauo ſupremi Conſiliarii, atq. M. Sapientis ornati arcana tractant Venetę Reipublicę. Fratrem etiam habet Hieronymū Delphinum, qui vel ſupremus Veneti Imperator exercitus in Dalmatia in hoſtē copias duceret. vel Nauium Prefectus tāto impetu atq. ardore barbaros vrgens, vt manus mutilatione ſanguinem pro patria fundere non dubitauerit. Studiis cum incubuiſſet, & dirigente patruo Ioanne S. R. E. Cardinali indolem, ſcientiarum diſciplina excoluiſſet, Romam venit ſedente Innoc. XII. à quo Prolegatus dictus Auenionenſis, inde legatus ad Gallos, merito officii abunde, etiam ante abſolutam legationem die 14. Nouemb. 1699. P. Cardinalis aſſumitur S.R.E. tit. *S. Suſannæ*, Hanc porro legationem cum omni maieſtate, & decore Apoſtolico abſoluiſſet; Vrbis reuoluto ſiſtemate, nulla oppido culpa ſui, coactus inſalutato Rege ſecedere, quia eiuſdem Regis nothos (ita aula iubente Romana) non ſalutaſſet ac domi conueniſſet, ritu ſeruato cum Principibus Regii ſanguinis; in quo, lege obliterata Romana, in præiudicium purpuræ Cardinalitiæ, alter Nuntius .... inſimulatus aberraſſe, ne ſolito munere Regali indonatus recederet: quo minime illectus generoſus Delphini animus, conſtans & impauidus decorem, honorem Apoſtolicæ reſtituit legationi. Pontifice ergo Innocentio XII, quamuis morbo laborante lethali, & animam agente, ne ſacrum Collegium Delphino deſtitueretur purpurato (Ioannes namq. Delphinus Cardinalis Danielis patruus iam ſex menſes fato conceſſerat) ſecundam publicante Cardinalium promotionem; Daniel Collegio adſcribitur Purpuratorū. De quo Poeta cecinit incognitus

Cre-

Crederis eſſe Deus; nec quid mortale docebit
Morbus; Pro Te dum deligit ipſe Deos.

In ea verò cum Delphinus aſſumptus fuiſſet poſt mortem patrui Io: Delphini Patriarchæ Aquileienſis, S. R. E. Cardinalis ab Innocentio XII. quaſi morituro; idem poeta luſit repetito carmine

Innocens revocat Delphinum, Roma; Coronam
Cantaq. Tergeminam, ſi velit? ecce dabit.

Cumq. carmina dicta dedicaret Ioanni Delphino A Venetiarum M. Sapienti, ac Marci electi Cardinalis fratri, luſit tertio ſequenti diſtico.

Delphinos habet omne decus, ſibi fata reſeruant;
Sic vnà quò ſis Dux, Orbis *ille Deus.*

Comitijs adfuit creandi noui Pontificis, poſt obitum Innocentij XII. ea modeſtia, & cautela, quam decet Venetum patritium, ac gemina ornatum purpura; ſuoq. voto promouit Clem. XII.

De eo lege ep. dedic. præfixam Commentarijs Cornelij à Lapide in epiſtolas Pauli, a Hieronymo Albriccio, Venetijs Sal. An. 1700. B

21. *Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.*
2. Cor. 3.



D. Ioannes Maria Gabriellius natu Tifernas ex vtero deſcendit materno die 10. Ianuarii Sal. An. 1654. parentibus honeſtis. Matre orbatus Romam miſſus a genitore in domum auunculi, ſtudiis vacaturus in collegio Romano, literis humanioribus, præcipue C Græcis, ac Logica excultus, in priuatis diſceptationibus, publicaq. Dialecticarum Theſium diſputatione, viuidæ mentis acumen, ingeniiq. maturitatem exhibuit. Cœleſti afflante ſpiritu adoleſcens die 13, Nouemb. 1671. vt animæ redimeret libertatem arctiori Reformatæ regulæ diſciplina, in congregatione S. Bernardi, Ordinis Ciſtercienſis, apud S. Pudentianam de Vrbe, votis ſeſe obſtrinxit, vt ſolus ſecum viueret, mundoq. carens rebus aſſueſceret futuris; ne rudis aggrederetur poſt tempora vitam; gradibus emenſis ſanctæ obſeruantiæ, quibus homo miſcetur Deo; iuſſus ex cathedra Philoſophiam Theologiam doce- D re ſcholaſticam, dein Polemicam, vnde viginti Annorum ſpatio, omnigenæ eruditionis fama in Vrbe explanauit, compluresque Panegiricas Orationes ex ſacro ſuggeſtu habuit. Eius pietate ac eximia doctrina permotus Innocentius Vndecimus Pont. Max. ipſum vix trigeſimum annum attingentem ad Lanellenſis Eccleſiæ regimen euocauit. Verum hac dignitate conſtanter recuſata à Sacræ Religionis ſolitudine & dilectæ Rachelis amplexu diſtrahi minime paſſus non eſt; donec ab Alexandro Papa octauo inter Congregationis Indici Conſultores aſcitus tantam in omni literarum genere excellentiam demonſtrauit, vt grauiores quaſque tum ſub eodem Pontifice tum ſub Innocentio XII. occurrentes tunc temporis de religione & ſana doctrina controuerſias diſcutiendas inter primarios Theologos deputatus fuerit. In eo enim elucebant Ingenii ſublimitas, memoriæ tenacitas, veritatis, ac Iuſtitiæ inexpugnabile ſtudium, Animi, oriſque candor infucatus ſacræ prophanæque eruditionis comprehenſio, atque Theologiæ Scholaſticæ Polemicæq. mira poſſeſſio, cuius non pauca ſpecimina proprio ſupreſſo nomine, publici Iuris fecit. In tribus Capitulis Generalibus ſui ordinis communibus omnium Votis primum Viſitator Generalis deinde Procurator Generalis in Romana Curia, poſtremo ſupremus ſuæ Religionis moderator ſeù Abbas Generalis eligitur. Mox ab Innoc. XII. ſummo Pontifice Sanctę Romanę & Vniuerſalis Inquiſitionis qualificator ac paulo poſt Collegii Vrbani de Propaganda fide ſtudiorum Præfectus declaratur, & nondum expleto ſexto ſui Generalatus menſe die 14. Nouembris anni *1699.* inter Sanctæ R. E. Presbyteros Cardinales nihil tale cogitãs ac prorſus inſcius cooptatur eique nuncius de collata Purpura defertur, dum in eodem Collegio de Propaganda fide, diſputationi Theſium Theologiæ polemicę actu pręſidebat. Nil penitus turbauit hominem improuiſus tantæ dignitatis nuncius ſed iterũ iterumque diſceptationem proſequendam iuſſit donec hominum vndique concurrentium & gratulantium concurſu circumſeptus, argumentis finem imponere coactus fuit. Die tertia Februarii ineuntis Anni 1700. Purpureo Galero ritè inſignitur tituloque presbyterali *Sanctæ Pudentianæ* alias *Paſtoris* decoratur cum inſignioribus Congregationibus Sanctiſſimę Inquiſitionis, Examinis, Epiſcoporum, Tridentini Concilii, Indicis librorum prohibitorum, Sacrorum rituum, & Epiſcoporum ac regularium adſcriptus fuit, atque fratribus S. Hieronymi Cong. B. Petri de Piſis patrocinator apud Romanum Pontificem. Innocentius non hominem exaltare credens ſed quaſi Angelum, prognoſticum deduxit a nomine. Eius in promotione Cardinalis Franciſcus Barberinus innata munificentia accurrens cum quadrigis, & ſuppellectili, virtuti auxiliator adfuit & teſtimonium.

De eo lege ep. dedicat. commentariis præfixam Fr. Ildephonſi de Padilla in Habacuch, Romæ impreſſis a Ioſepho S. Germano Coruo.

22. *Virtus in infirmitate perficitur.*
2. Cor. 12.



NIeolaus Radolonicus Epidauri natus, apud Dalmatas, die 28. Decembris. Sal. Anno 1626. cuius gens apud Germanos ſedem habuit antiquam, ſtationem modo habens in regno Neapolitano, ſanguine junctus eum Hiſtonii Marchione, à quo in promotione Cardi- A
nalatus, quadrigis donatus & aluçis. Exeunte Pontificatu Vrbani VIII. teſſera ſumpta Eeeleſiaſtica pluribus præſuit vrbibus, Reate rexit præeipue in Sabinis, vnde Commiſſarius & vigil contra morbum comitialem Vmbriam cuſtodiuit. Vtriuſq. Signaturæ Referendarius litigantium queſtiones eum aeutiſſime exponeret, nomen profundi Iuris Conſulti ſibi eoneiliauit, dictuſq. Archiepiſeopus Theatinus vnam ſubiit querelam eum Capitulo Canonieorum, qui omnes oatu nobiles ęgrè patiebaotur Saeerdotem Mutinenſem in eanonieum ab Epiſcopo ſubrogatum. Mareello de Aſte Congregationis Epiſcoprum & Regularium ſeeretario B
Vrbinum miſſo Prolegato, onus ſubiit ſubrogatus Rodolouieus ea vigilantia & Iuris eognitione, vt qualiçunque deſctimini remedium ilieo apponeret, & vulnus ſanaret. Encomiaſtes propterea Sortitus Regulares omnes, populumq. Romanum, Papam exeitauit morientē, vt die 14. Nouēb. 1699. quamuis animam ageret, eū Presbyteris adijceret Cardinal. tit. *S. Borthelamai* in inſula, non audens ad Chriſti accedere tribunal, ni prius virtuti viees reprenderet, tanti viri promotiones quam ſerio actam vt oſtenderet, eum vires Papa reeollegiſset, in ſimili Conſiſtorio ſeereto, habito in Quirinali, die 24. eiuſdem menſis, publicauit ſaeri Senatus, C
cæterorumq. Ordinum plauſu, ob morum candorem, & lumen doctrinæ, qua diæeeſim illuſtrabat, dirigebat, docebat. De eo enim repeti iure valet, quod de Principe Velleius Paterculus lib. 11. *Rectè facere principes, qui ciues ſuos faciendo docent.*

Comitiis adfuit poſt obitum Innocentii XII. ſui creatoris, pro electione noui Pontificis, in quibus Card. promouit Albanum nomine Clementis XI.

23. *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inuentus eſt iuſtus.*



SPerellus Sperellus Aſſiſienſis ad lueem ſurgit temporaneam die 15. Aug. 1639. Natura mouente, Aris deuotus literas quæſiuit, vt per eas Deum venerare tur impenſius. Toga indutus Clericali, vitam inſumpſit in Collegio *De Propaganda*, vt grates ageret pro fide ſibi gratis data Catholica; vel vires augeret, vt vices rependeret, & doceret errantes. Auditor aſſumptus primo a Card. Franzono, inde a Feliee Roilpiglioſo, gratitudinis ergo ad Infulas prouocatus Epiſcopales, modeſte & humiliter abſtinuit, donec eeeirante Card. Cybo eo actus ab Innocentio XI. R. P. qui Epiſeopatibus paſtores quærebat, non paſtoribus Epiſeopatus, examini ſe exponere, Epiſcopus initiatur Interamnenſis, vbi paſtorali ſollieitudine oues congregans in caulam Domini, ſciagraphiam reliquit illius Epiſcopi, quem Paulus deſcripſit Apoſtolus *ſine crimine, non* B *ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum; ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere.* Vſque ad Innocentium XII. ibi ſubſtitit alienus ab ambitu, a quo Romæ datus Vicem gerens eceleſiam reſignauit fratri ſuo, qui eiuſdem Cathedralis Prior erat. In hoe munere, cuius eſt minora inquirere, ea ſuauitate ſe geſſit, vt populum Romanum habuerit non tam obſequentem, quam encomiaſtem. De eius probitate ſecurus Innocentius XII. cauſas querelas dietim ei de- C
legabat, quæ altioribus conueniebant ſubſelijs, non ſine fremitu iudieis ſuperioris. In promotione Cardinalium ſacta Sal. Anno 1695. omiſsus Sperellus dicitur ob vulgatam calumniam, in homieidio Vlderici Comitis Fluminis conſpiraſse Sperellum, careeri qua propter datum viuente Cardinali Franzonio, eū tamen eius innocētiæ teſtis aecreſceret tota Roma. Obnubilata propterea mēte Pontificis, vſq. in An. Sal. 1699. promotione dilata, tandem morbo tentatus lethali Innoe. XII. volens ſolam audire iuſtitiā, & exaudire virtutē; Sperellum (qui Aſseſsor S.S. Inquiſitionis, Leo vigil cuſtodiebat ſanā doctrinam) prçelegit, Cardinalem Presb. D
ereando tit. *S. Io: ante portam Latinam* die 14. Nouemb. 1699. & iterum publicando die 24. dicti Menſis, Epiſcopum etiam initiando Lucenſem. In eius ereatione adſuere prompti, gratiq. Roſpiglioſi Principes cum claua argentea, qua olim vtebatur Card. Roſpiglioſus, quadriga, auleis memores officii fideliter præſtiti Cardinali ſuo. Poſt obitum Innocentij XII. promouit voto ſuo Clem. XI.

Promo-

Promotio Cardinalium vltimo facta ab Innocentio XII. die 21. Iunij Sal. An. 1700.

IO: Philippus Lamberg Germanus.

LVdouicus Antonius de Nouailles Gallus.

FRanciſcus Borgia Hiſpanus.

24. *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum? 63.* Ilaię.



IO: Philippus à Lamberg Ioannis Maximiliani S. R. Imperij Comitis a Lamberg, Baronis in OrteneeK, & Ottenſtein, Domini Dynaſtiæ in Steijt, Equitis Velleris Aurei olim Leopoldi Archiducis, poſtea Mariæ Eleonoræ Imperatricis ſupremi Aulæ Præfecti, Legati Cæſarei ad Hiſpanos, intimi Conſiliarij, ac pacis tractatus in Vveſtphalia Plenipotentiarij, Sal. Anno 1648. tandem ſupremi aulæ præfecti filius, natus die 26. Maij. An. Sal. 1651. ex Iuditha (dicunt alij Eſther) Rebecca Eleonora Comitiſſa Bohema in Vvirten, & Freindenthal: nepos Georgij Sigiſmundi e Lamberg trium Cæſarum, & vnius vxoris Imperatricis, Supremi aulę Præfecti. Io: Philippi auia, Ioanna Domina de Scala ex S. R. I. Principibus & Vicarijs Veronæ vltima proles. Fratrem habet Franciſcum Ioſephum S.R.I. Comitem a Lāberg, liberum Baronem in Orteneck, & Ottenſtein, Dominum dynaſtiæ in *Steyr*, *Stabuli* Præfectum hæreditarium in Carniola, & Marchia Sclauonia, Aurei Veleris Equitem, S.C.M. actualem intimum Conſiliarium, Camerarium, & ſuperioris Auſtriæ ſupremum Capitaneum. Salisburgi, ſtudiis incubuit, vbi Canonicus Cathedralis atq. Viennæ Auſtrię vbi cōpleto Philoſophiæ curſu, Iuriſprudentiæ ſtuduit, ornatuſq. laurea iuris vtriuſque, arcana quęſiuit Maieſtatis, de iure publico indagando, vt ſeipsū immolaret pro lege & Rege. Hinc à Cæſare Leopoldo I. ad Brandeburgicos Legatus, animos cum viribus aſſociauit: inde in Saxonia ſuppetias Viennę ferēdas à Mahumetanis obſeſſę, palam facto totius Germanię periculo, in quam laqueos, frena Porta attulerat Otthomana, accelerauit, ne Portà illà Libertas includeretur Germana, non amplius reſeranda, & manumittenda, ni tempeſtiue gens accurreret bellicoſiſſima. Ad Sarmatas tandem, ibi quà ſuauitate, quà agendi fortitudine, ambientium diſtupto funiculo triplici, Fridericum Auguſtum Saxoniæ Ducem & Electorem Solio impoſuit Regali, Euangelio ſemper ſeruato, &

A Petri clauibus; quas in manu Romani Pontificis Innocentij XII. Chriſti Vicarij, & legitimi Petri ſucceſſoris, abiurato Luthero cum erroribus ſuis Rex nouus agnoſceret, & adoraret. Modo habes *cur rubrum ſit indumentum eius?* Purpura induitur, qui regale paludamentum ſuo contexuit eloquio, & cōſtātia ſua ad thronum Saxonē manuduxit. Sceptrum, Corona in capite noui VedeKindi Saxonum Ducis, Philippo interprete aſsetta fortiter, pedo rependitur & purpura Romana, quæ ſi non Regno, Rege aucta pęnitente, conciliatorem ad ſe vocat, vt hoc Cardine diu Religionem Romanam, & Orbis pacem fortiter ęque ac feliciter fulciat, reſtituat,
B ſuſtineat; Tantis comprobatum periculis Leopoldus Imperator, gratitudinis ergo atq. virtutis, die 25. Maij. Philippi peruiglio natalis ſui Sal. Anno 1689. ex Canonico Salisburgenſi, & Paſſauienſi ad Inſulam primo propoſuit Paſsauienſem, cuius honorem protinus vt Philippus reponeret, & reſtitueret, aris conſtructis elegantiſſimis, pretioſa donata ſuppellectile, curam incępit paſtoralem ex quo alij finire ſolent. Progreſſus inde ad gregis reformationem, vnica lege vulgata, ad honeſtatem prouocauit exemplo. Legatus inde cum ſuprema auctoritate, & plenitudine poteſtatis ad Dięetam Ratisbonenſem; vires col-
C ligauit Imperij, Imperialis vinculo pacis, atq. concordiæ, qua Cæſar non tam hoſtes retunderet irruentes, quàm formidabilem ſe exhiberet a longe rugientibus. Cæſare tandem proponente, ab Innocentio XII. die 21. Iunij An. 1700. Cardinalibus adſcribitur S. R. E. poſt cuius obitum, comitia ingreſſus Romana, in quibus Clementem voto ſuo promouit XI. ab eodem pileum accepit Cardinalitium cum titulo, *S. Silueſtri in Capite* die 18. Decemb. 1700. Roma recedens Principes conuenit Italiæ, nomine Cęſaris, vt eos excitaret in Gallum à Leopoldo diſſidentem Imperatore, qui teſtamento pęteritus Hiſpani Regis, Feuda repetere pręten[illegible]
D tam in Italia, quàm in Lombardia Imperio obſtricta Romano. Viennam reſtitutus vigilātia plena oculis ante & retro, fidelitate incorrupta, conſilia ſuggerit, ſtrenuus promouet, fortis exequitur, difficultate quacumque pęterita, Deo adſtat, Regi & Legi.

25. *Ibunt de virtute in virtutem.*
83. Pſal. 8.



LVdouicus Antonius Nonailles, natu Gallus die 27. Maij. Salutis Anno 1651. familia pręnobili & antiqua in agro Lemonicenſi, genio excitante arma familiæ, literis exornauit, dum eius fratres in campo Martis, pulnerem præmerent tormentarium. Ludouicus namq. A Anna Iulius germanus frater & familiæ primogenitus die quinta natus Februarij, 1650. Marcſcallus & Par Franciæ, ſacræ Regis cohortis prætor, Prouinciæ Gubernator Ruſcinonenſis, Vrbis Caſtelli, & arcis Perpinianenſis, non ſemel Rege Duce, Bellonam expertus propitiam, lauro coronatus de hoſtibus victrices retulit palmas. Iacobus alter germanus frater Orbi datus die tertia Decembris 1653. Eques & Commendator Melitenſis, Prouinciæ proprætectus Aruerniæ, Regiarumque Triremiũ præfectus, terra marique, faſtos ęmulatur Auorum. Tertius ei frater Epiſcopus Cathalounẽſis in Campania die natus 21. Auguſti 1658. qui ab B vtero religionem edoctus, altaria conſcendit & nunquàm deſeruit. Ludouicus verò cum à puero ingenium literis excoluiſſet Græcis atq. Latinis, compendium ſcientiarum omnium in Sorbona abſoluit, in qua laurea exornatus, ſtudiis pręclaris Magiſtros rependit, præcipuè iura patriæ & Regis calamo, dum fratres capulo propugnando. Hinc Dux Sancti Clodoaldi, Par Franciæ, Epiſcopus Cadurcenſis Salutis Anno 1679. deinde Caſalaunenſis, demum Archiepiſcopus Pariſienſis, ac Rege proponente Ludouico XIV. Presbyter Cardina- C lis S.R.E. creatus die 21. Iunij Sal. Anno 1700. ab Innocentio XII. comitijs adfuit creandi noui Pontificis, ſuoq. calculo promouit Clementem XI.

26. *Nemini dantes vllam offenſionem; vt non vituperetur miniſterium noſtrum.*
2. Cor. 6.



FRanciſcus Borgia Franciſci Caroli Borgiæ octaui *Gandia* Ducis, quinti Marchionis *de Lombaij*, noni Comitis *de Oliua* ex Maria *Ponza de Leon* filia Ducis de *Arcos*, agnatus B. Franciſci Borgiæ, Anno natus Salutis 1658. in regno Valentino, virtute ac morum innocentia ei non diſſimilis, in collegio maiori S. Ildephonſi, Vniuerſitatis Complutenſis, periculo facto in puluere literario ſcientiarum omnium, ex cathedra docendo, eo plauſu, vt in pretium virtutis, Archidiaconus decerētur Caſarrauæ, atq. Canonicus Toletanus, cum vbiq. veri Eccleſiaſtici veſtigia relinqueret, a Rege Catholico inter Conſiliarios aſſumptus Aragonenſes, per Annos quindecim arcana Regni tractauit ea fide, ac publicæ fruge, vt in purpurę poſtulatione Rex Carolus ſecundus eum omnibus antetulerit: qua ornatus ab Innocentio XII. die 21. Iunij 1700 eius poſt obitum, comitiis creandi noui Pontificis Romam haud venit ob longa terrarum ſpatia, cęterum pietate fulgens ac religione licet à noſtro Hemiſpherio diſtans ſydus illucet clariſſimum, Epiſcopus creatus Calagurritanus in Hiſpania Tarraconenſi; vbi abſq. vllius offenſione vitam ducens, aulicis ſuis illud dictum inculcat Pauli Apoſtoli, *Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum.*

Additiones ad geſta Cardinalium ſub Innocentio XII. R. P. CCXLIV.

1. *Iacobus Morigia* Anno recurrente Iubilęi 1700. Portam ſanctam aperuit S. Marię Maioris tanquàm Archipresbyter Baſilicæ Liberianæ.



